



769.202



Lasd. Weiss: Katalogus... 186. o.

D. Weitere Bestandteile der Bibliothek

Erwähnungswert: 2.



DE CAUSSIS,  
 NATVRA. MORIBVS  
 AC CVRATIONE PESTILENTIVM  
 FEBRIVM VVLGO DICTARVM

CVM SIGNIS, SIVE PESTECHIIS,

Per brevis tractatus, & obseruatio, M. D. LXXXVII.  
 & M. D. LXXXVIII.

*Andreae Trevisij Fontanetensis Medici Gallarati.*

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.  
 D. GASPAREM VICECOMITEM  
 MEDIOLANI ARCHIEPISCOPVM  
 Sui Colendissimum.



MEDIOLANI, Apud Pacificum Pontium. 1588.

*Cum consensu Superiorum.*

HIERONYMI BONIO ANNIS L. V. D.

R H O D I I O K T A Σ I X O N .

**P** Arcite iam ferris, vulgaribus hiscine morbis,  
Scindendi venas regula vera datur.

Vsque adeò nemo digessit rectius isto

TREVISIO, Methodos, consulitquè malis.

FONTANETE tibi (quem non credebas) Alumnus

ANDREAS, Patriæ, gloria, fama viget.

Nec grauis ambitio, perfusaq; gloria secli,

Debita sed seruitus sollicitauit opus.

## Bernardini Baldini.

**S**I studeas vitare grauis contagia morbi,

Compos eris voti codicis huius ope;

Aëris hinc rabiem disces, vitiataquè membra;

Vtquè recuretur mortis amica lues.

Hunc magni facient librum iuuenesquè senesque;

Nota quibus merces, qua sit emenda salus.

# ILLVSTRISSIMO

AC REVERENDISSIMO D.

D. GASPARI VICECOMITI

ARCHIEPISCOPO MEDIOL.

Andreas Treuisius.



**C**ALLARATVM nobile oppidum non antea mihi cognitum, cum sub auspicio, nomineq; tuo, Illustrissime Præsul, medicinam facturus duobus ferè iam elapsis annis petijsem, Diuini Hippo. oraculo excitatus, ne in cognoscendis morbis dubium habere, aut errare sicubi ad curationem morborum adhiberer, maximè mihi contingeret: loci, aliorumque conuicinorum suum, habitudines ad cælum, aquarum, ac terræ qualitates, viuendirationem toti plebi communem, ventorum naturas; sed præcipuè temporum commutationes obseruare, ac examinare cœpi: Philosophi etiam sententiam amplexatus dicentis tertio Prob. sec. 1. cum tempora euariant, rationem tunc temporis diligentius habendam. ex quo factum fuit, ut præteritis futura coniungens, ex cœli temperatione harum vulgarium febrium pestilentium radices antequàm agerentur, circa æstatis præteritæ principium euentum prædixirim, quemadmodum hac hieme præsignificauerim & erè sciuus publicè grassaturas (de quibus non desunt mihi locupletissimi testes) Quæ aeris illegitima perseuerans conditio. (Quòd D. O. M. auertat) timorem incutit, ne sub Autumnum verè pestulen-

tium causam afferat, nisi aestatis ea fiat temperies, ut emenda-  
re valeat, nedum non addere in corporibus ad iam conceptum vi-  
tium. Inuersæ enim, inconstantes, & prauæ suere anteaclæ tem-  
porum constitutiones; per hiemem potius magis repleta, quàm  
exsiccata corpora extitere. non attemperati humores: imò ex sta-  
tu toto ferè austrino deprauati. nihil aut parum insufflauit Bor-  
reas, nec per maximam partem Veris, sed Euro notus, Au-  
ster, & Argestes, qui tamen Borreas parum ante Vergilia-  
rum exortum dominauit: undè pruina ceciderè. Verùm sub or-  
tu Vergiliarum Austrina denuò successit, nubilosa, pluuias minans,  
parum, ac rarò ad effectum veniens, quæ praua admodùm con-  
stitutio. Constat autem Veneran. senis sententia, inconstantibus  
temporibus, inconstantes fieri morbos, & prauis iudicij. & mu-  
tationes temporum maximè parere morbos. Vndè aliquis non  
mihi succenseatur oratoris autoritate, ac pondere; quod, quem-  
admodum præteritum tempus nunquàm reuertitur; ita, nec quid  
sequatur, sciri possit. ex naturalibus enim certis causis, ac rati-  
oni consentaneis tales præfensiones ducuntur, & ex Syderum  
constitutione annorum mutationes dependent, à quibus postmo-  
dum morbos futuros colligere possumus, ut fecit Hippo. Quibus  
etiam commoti Aegyptij Aerem tanquàm diuinum quoddam co-  
luerunt. Vires enim non exiguas, cum in temporum, iùm in  
corporum mutatione possidet; si quidem omnia, quæ sub cælo  
sunt, prensat, illustrat, agit, penetrat, afficit, perdit; aut fo-  
uet, & iuctur. Ventorum dominatus existit, & terræ vehi-  
culum, ignisque pabulum. per aerem Sol, Luna, syderaquè om-  
nia cursus suos conficiunt, ac tenent, & in hæc infima potesta-  
tes promunt, suasquè exercent congenitas vires: cælorum nam-  
que



quæ semel suscepta spiracula deorsum via à natura inuoluta, & sensum latente longè, latequæ communicat, inditiâq; rerum, quæ sunt ad terras inclinanda, non dissimulat: omnium tempestatum simulacra ad viuum exhibet: supernorum decretorum significationes, & futurorum pronostica præfert; quorum terræ, & aquæ globus non expers est, & quæ in eo degunt animalia. Hinc animantes mente, ac ratione vacui latentem vim aeris sentientes, ab ipso admoniti, sæpe nobis, quòd euenturum est, motu, gestu, voce, accessu, discessu prænunciant; ut impendentes ventos, tonitrua, pluias, niuem, pruinas, grandines, tempestates, serenitates, pestem, anni tempora; quorum omnium latissima planities aer. Quare si & rationis expertes belluas, quæ sibi tantum attendunt, & hominibus præsagiunt, ab aeris spiraculis excitari luce meridiana clarius patet; hominem nè prudentiæ, ac consilij capacem, à Deo, à cælo, ab aere de amplectendis, & fugiendis non admoneri, erit quis tam sine sensu, ut dubitet? cuius causa procreatas ipsas bestias esse, ipsum verò ad Deum contemplandum, & imitandum exortum, cum nemo ambigat? à quo intelligentiam in animo, animam accepit in corpore. Horum igitur morborum communem inuasionem, Piissime Antistes, cum videres populi Fagnani, antiquissimo iure tibi subditi, misertus calamitatem curam mihi delegasti, commendans (cum iam extremæ inædiæ subsidia parasses) ut & paratu facilibus auxilijs, laborantibus succurrerem; ne propter angustiam rei familiaris, si in magnos Appotchariorum sumptus salutem suam repositam tantum viderent, his destituti præ inopia, miserandam mortem caperent. Quod libenter, letoque animo suscepi, Diuinoquæ auxilio ita peregi; ut, nisi ingrauescens ætas, aut

Spretus

*Spretus medicina ( ut accidit Bergaro ) vel corporis iam euerfa complexio impedimento fuerint, omnes ferè a morte, cùm priuatis, communibusquè fomentis vindicati extiterint; & quod mirum, multò melius conualuerint, quàm ij, qui sylvam medicamentorum experiri a Doctoribus ( ne viderentur parum, aut nihil agere ) coacti fuerunt; secundum quod tempora magis, & minus interuertebant; & ne acciperetur faciendi indicatio, impediebant. Hinc varios naturæ motus, diuersos fines, tristes exitus ex contrarijs penè cùm deprehenderent Medici euenire, modò vnum, modo aliud comprobabant auxilium; nunc collaudatum prætermittēbant; nunc verò prætermisſum denuò in vsum reuocabant. Vnde alij mittendum sanguinem per venæ sectionem; alij non mittendum absolute statuebant: nonnulli apparentibus morbillis abstinere censebant opportunum: non pauci, ijs non obstantibus, minuendum: magna pars ab acidorum, ac exasperantium vſu curam, & nunc exposcit: nonnulli aperientibus, sudoremquè elicientibus congruam magis rationem existimant, experientiæ innitentes. Quæ diuersitates non nisi multos ægotantes in vitæ discrimen ducere potuerunt. Ex quo publicæ utilitati inferuire studens, & omnia non ostentationi, sed communi commodo referens, in his febribus, cùm adhuc vigeat earum impetus; nec breui tempore desistere habeat ( quantum ex naturalibus causis conijci potest ) quæ obseruauerim incompta, ac parum elaborata in publicum prodire volui. si quidem morborum vniuersalium, cùm non simpliciter a naturæ nostræ vi motus fiant, attendenda a cæli conditione generatim commotio, impulsusue in iudicando, progressusque eius immitandus; quia recte magis operantem tunc naturam habemus, Et felix medicatio, cui superior adiutrix natura suc-*

currit: unde ego sæpè cucurbitularum appositione contentus fui, quandoque à venæ sectione non abstinere consului, cuius instituti, ac Methodi mox rationem reddam. Nunc, Amplissime Præsul, cùm harum obseruationum paruam non mihi occasionem præbueris, cùm propugnatores fortunarum mearum primum te mihi adoptauerim, accerrimumquè defensorem nactus fuerim, sub alio nomine permittere caris, ut promerentur, non decebat. Quare horarios hos labores inconcinnos, incomplexos lata fronte ( ut soles omne ingenij, ac virtutis specimen ) accipito, mequè amplitudinis nominis tui obseruantissimum crede. Gallarati xvij. Calend. Iunij. M. D. LXXXVIII.



# Index per Capita eorum quæ in libello continentur.

- Complectitur temporum mutationis descriptionem duorum ferme annorum, & quomodo vulgarium morborum præter aerem nulla alia statui possit causa ex Gal. sententia. Cap. 1. fol. 1.
- Refert modos, mores, ac tempora in quibus mors, aut vita frequenter eueniebat. Cap. 2. fol. 7.
- Alias docet necessarias indicationes, vltra requisitas in cæteris nõ vulgaribus morbis. Cap. 3. fol. 10.
- Indicationes proponit, prout putrida insinuat febris. Neque sine maximo periculo seruari posse medendi illam rationem, vt semper præbeatur medicamentum leniens ante venesectionem. Cap. 4. fol. 13.
- Cucurbitularum vires, ac vsum percurrit. Cap. 5. fol. 20.
- De præparantibus agit; & an acidis in Pestilenti, ac Morbillari hac febre libere vti possimus. Cap. 6. fol. 29.
- Morbilloꝝ, quæ ad cautionem, ac expulsionem faciunt, recenset. Cap. 7. fol. 38.
- Quantitatis, ac qualitatis ciborum normã describit. Cap. 8. fol. 40.
- Simptomatum emendationem prosequitur. Cap. 9. fol. 45.
- Examinat tempus exhibendi electiue (& vt aliqui dicunt erradicatiue) purgans medicamentum. Cap. 10. fol. 50.
- Vltimum imperfectionis excusationem habet. Cap. 11. fol. 59.

I

*Status Cæli duorum ferè annorum descriptio, & quomodo vulgares morbi ab alia causa, quàm à celo provenire non possint*

*comprobatio. Cap. I.*



**M**NIVM bonarum artium Princeps Hippocrates, vt ostenderet similitudines, & dissimilitudines rerum Medicis diligenter esse examinandas, ac perpendendas proemio de Aere, locis, & aquis, nihil simile tempora ad inuicem habere pronunciauit, sed plurimum differre. Cui Galenus suffragari videtur 9. de Placit. Hipp. & Plato. & in lib. de fractu. hac ratione astruens affectas partes, cum benè valentibus conferendas esse. Quare ipsorum imitatione, ac auctoritate, & nos statum præter naturalem duorum ferè annorum à nobis obseruatum perscribemus, naturalem apponendo; tam vt præteritorum ex ipsis, cum ratione morborum fiat approbatio, præsentiumq; cognitio: quàm futurorum habeatur præsentio. Quòd si in eorum obseruatione defecerimus, continuis occupationibus inuisendis agris studiosi ascribant, tenuitatiq; nostri ingenij indulgeant, & saltèm iuuandæ omnibus propesam mirum in modum voluntatem comprobent. Hincq; temporum, ac tempestatum ab acto iã in Autumno anno dispositio.

In Gallarato, paulò antè Arcturum spirante Aquilone magni, & multi imbres, ab Æquinoctio ferè vsquè ad Vergiliarum occultationem ventorum inconstantia; largæ, multæ, magnæ pluuiæ. Hyemis initium mite, circa, & post brumale Solstitium, Austrini flatus. Ante

A Æqui-

Æquinoctium VERNUM de repente caliginosum tempe-  
 statibus cœlum; hyems Aquilonia, frigora, niuium ma-  
 gnus descensus. circa Æquinoctium Aquilonij satis vali-  
 di, cœlum deindè procellosum, atq; nubilum; Septentrio-  
 naliū, ac Australiū ventorum concursus, ac pugna, &  
 in fine Australiū victoria, ac dominatio. Ante Vergi-  
 liarum exortum multi, ac magni imbres. Sub Vergilia-  
 rum exortu, ac circa Solstitium Æstiuū frigora ferè vsq;  
 ad Canem. A Cane ferè vsq; ad Arcturum Æstus magni.  
 Mox circa Arcturum, spirante multum Aquilone, magni  
 imbres: inæqualis constitutio: sed humiditas, ac frigiditas  
 dominauit.

Iam sub Arcturo, & circa Æquinoctium magni, largi,  
 & multi imbres; intempestiuū frigus; Aquilo multum  
 spirabat, sub Vergiliarum occasu pluuia magnæ, conti-  
 nuæ, frigida. Ante Brumam Austrini imbres, multi, con-  
 tinui, lenes. Sub Bruma nubilosum, nebulosum uè cœlū,  
 ac humidum. Mox post brumale Solstitium, Austrini  
 flatus dominarunt, præter modum frigoris vacantia, pau-  
 cæ, aut potius nullæ niues. Ante Æquinoctium vernum  
 parua, ac rara pluuia, parui, & rari Aquilones. Sub Æqui-  
 noctio Australes venti. post aliquot dies aliqua pluuia;  
 indè calor redijt. Paulò antè Vergiliarum exortum Aqi-  
 lonia constitutio, repentinum, ac inopinatum frigus, prui-  
 næ; indè inæqualis, varia; ad frigidum tamen, & siccum  
 vergens. sub exortu Vergiliarum, & paulò post, varia; sed  
 Austrina, obscura, & nebulosa minans pluuias quotidie,  
 & sine nullo, aut perpauco effectu. Vndè, nisi Æstatis ca-

fiat

fiat temperies, vt corrigere multum valeat, iam incaptam labem febres istæ sub Autumnum acriter magis pullulabunt, ad necem vt plurimum perducentes. Anni enim tempora sunt vitæ, ac morborum tempora: ita vt, legitima existente constitutione, saluberrimus annus expectandus sit; quemadmodum morbosissimus, vbi plurimum euariat. Nunc quia sine comparatione ad rectè iudicandum inter contraria difficilima nimis, & infirma habetur ratio; benè conueniens erit constantis, ac legitimi anni statum apponere. à Gal. igitur eo ordine describitur, vt inter se distinguantur anni tempora, proleque nature appareant signa in ortibus, & occasibus syderum hoc pacto, primo Epidem. 1. Habes temporum anni temperamentum; quorum ferè mutatio iuxta parua fieri debet, vt à nemine toto tempore sentiat; sin iuxta magna sentiat; non tamen affatim, aut immoderare in humidorum temporum, aut naturalium mutationibus. Igitur oriente Arcturo pluit ferè, simulq; spirant venti frigidi; quod tùm Autumni est principium, tùm finis æstatis. deinde tempore sequente paulatim, ita vt non percipiatur, fit mutatio in frigidum; quam vicissitudinem facit Vergiliarum occasus sensibilem. Dehinc vndequeq; similiter ad Æquinoct. vernale venit, ac interim par fit accessio vsq; ad Vergiliarum ortum: sæpius verò etiam manifesta quædam sub tempus Æquinoct. at moderata tamen. Iam ab ortu Vergiliarum augetur calidum, & siccum vsq; ad Canis ortum modicè, & pedetentim. qui vbi adsit, aliquantisper regnabunt Austri; mox succedent pluuie tantæ quan-

tæ spirent. Et etiã ad ortum vsq; Arcturiv. Qua designa-  
 tione patet, quantum à vera, & naturali constitutione val-  
 riauerint tempora horum duorum ferè annorum, cum  
 nec iuxta parua mutatio facta fuerit, cum contrariæ sæpè  
 extiterint dispositiones, nec pro lege naturæ apparuerint  
 signa in ortibus, & occasibus syderum, Aequinoctiorum,  
 nec Soltitiorum recta vicissitudo facta fuerit. Vnde nõ  
 mirum, quòd vulgares morbi successerint. Quemadmo-  
 dum constanter fatendum est, si aliter procedant, secun-  
 dum videlicet naturam non posse vulgares vlos morbos  
 contingere. Quòd aperte docet Gal loco nuper adducto,  
 vbi, postquam propriij, ac legitimi anni ordinem dispo-  
 fuerat, profert. Itaq; experimentis, & ratione didicimus,  
 vbi in hunc modum procedant anni tempora, & in se mu-  
 tuò conuertantur, non existere neq; pestem, neq; quenquã  
 alium morbum vulgarem; sed solos dispersos, contra ali-  
 quorum alioqui Doctorum sententiam, qui ex Gal. dari  
 contendunt vulgares morbos à victus genere, præsertim  
 ex proemio de morbis vulgaribus, vbi inquit: cum igitur  
 tres sint causæ, à quibus morbi auspiciantur. Vna qui-  
 dem in ijs, quæ offeruntur; altera verò in ijs, quæ obimus;  
 & tertia in ijs, quæ extrinsecus occurrunt nobis: per vnã-  
 quamq; communes morbi fieri consueuerunt, ac præser-  
 tim quidem per affectum aeris nos ambientis. quæ rectè  
 consideranti referri non possunt ad vulgares morbos; si  
 quidem ridiculum esset ponere pestem, & alios vulgares  
 morbos ab actionibus, quæ obimus, prouenire, quòd con-  
 cedendum est, si concedamus à victu. Verum quidem  
 est,



est, quòd communes morbi, vt dicit Gal. tam ab ijs, quæ  
 obimus, quàm quæ offeruntur, & quæ extrinsecus occur-  
 runt nobis, fieri possunt; non tamen vulgares. & hac ra-  
 tione Gal. reprobat Hippocratem 2. de nat. hum. qui, vbi  
 distinguit morbos, partim à victu, partim à spiritu fieri  
 dicit, quòd quandò multi homines per idem tempus ab  
 vno morbo capiuntur, non à victu, sed à spiritu fiat. Op-  
 ponens exemplum illius, quod in Aeno contigerat, vbi ex  
 esu leguminum communi morbo laborarunt; non tamé  
 statuit, quòd pestilens & vulgaris fuerit; sed, quòd com-  
 muni morborum non solus sit aer in causa, docere in-  
 tendit, contra Hip. decretum. Vndè nec valet argumen-  
 tum desumptum ab eo, quod in Aeno contigerat; quia  
 communi morbo; non autém vulgari laborarunt, vt pa-  
 tet ex eodem Galen. sept. in sex. de morb. vulg. vbi sta-  
 tim à principio inquit. Si quis existimare rectè velit, is  
 fortè cõperiet, hìc deniq; vulgares morbos primùm per-  
 tractari: nam in principio dictum est nobis, huius libri  
 indicem de morbis esse vulgaribus; eorum tamen doctri-  
 nam hìc non tradi; sed fermè eorum, qui dispersi nomi-  
 nantur. dixi; subiungit illud, fermè, quia eorum quoq;,  
 qui in Aeno viguerunt, fecimus mentionem. hoc autém  
 loco morbos re vera vulgares docet; propterea quòd nec  
 Egisipo, neq; Anaxioni morbus accidit, sed totam Ciui-  
 tatem inuasit: quibus manifestè docet morbos, qui à com-  
 muni alia causa, quàm ab aere proueniunt, stricto, & pro-  
 prio vocabulo vulgares non posse appellari. declarat etiam  
 his duobus verbis, inuasit, & accidit. inuasio enim non fit

ab ingestis; quia tunc dicitur morbum accidere Anaxioni, & Ægippo: sed ab externis, ex cœli videlicet constitutione Ciuitati vim fieri. vndè ibi niuium copiam, Austri- nos flatus, & loci situm refert. Quòd autèm dentur com- munes morbi, qui vulgares non sint, manifestè patet ex his, quæ habuit Galenus secundo de natu. hum. tex. 4. vbi inquit; defectuosam curationem communium morborũ docuit, quandò fiunt ambientis vitio: etenim sæpè exha- lationes &c. cùm ergò dicat, quandò fiunt ambientis vi- tio, docet & fateri, quòd fiant communes sine ambientis vitio; ij tamen non erunt vulgares, quia tales semper se- quuntur cœli statum immutatum, ex proemio de morbis vulgaribus, & alibi. quare vulgares erunt communes; non tamen è contra, vt proemio citato ostendit, inquiens. Itaq; patet ex vulgarium morborum genere eos esse, qui mali- gnissimi sunt, & pestilentes vocantur. vulgares verò de ge- nere communium, & vniuersalium, qui morbis dispersis è regione opponuntur. Adde, quòd, quandò Hippo. per commune vult significare vulgarem morbum, addit particulam, ex immutatione, vt lib. de Aere loc. & aqu. Viris ij morbi peculiare sunt, & extra ordinè, si quis do- minatur ex immutatione communis morbus, sunt ij il- lius quoq; participes, & alibi; ij morbi sunt ijs vernaculi, & si quis irruat morbus ex temporum anni conuersione, idest, immutatione, sunt illius &c. Multa temporis angu- stia, & quia res non patitur longas digressiones prætermi- timus, aliàs Deo dante explicaturi. constabit saltèm harũ febrium, nuper vagantium, temporum mutationes, in- uersionesq;

uersionesq; caussam fuisse; cùm tam viros, quàm mulieres; nobiles, quàm ignobiles; senes, quàm iuuenes, optimo etiam victu vtentes, corripuerit. ad mutationem enim aeris non possunt corpora nostra non simul & affici, & immutari 3. de humorib. 3. nedùm per intemperiem; sed repletionem, ac euacuationem.

*Modi, Motus, ac Tempora, quibus natura superare, aut superari contingebat. Cap. 2.*

**E**X priore igitur cœlo ante Ver febres ardentes caperunt, à quibus multi in modum pleuritis fuerunt enecati. Vere, & Æstate cum efflorescentijs extra curtem, morbillis videlicet affligere inchoarunt, non admodum lætales. ex secundo cœlo in Autumno, iam cùm pluere cœpisset, maligniores, ac magis lætales factæ fuerunt, pluresq; peribant, conualescentes in longum producebantur. Hyeme quoquo pacto remissus impetus, & melius sese habebant. Ante Ver non multò post bruniale Solstitium feuiore factæ multos corripuerunt. Hoc Vere paulò post Æquinoc. magis exitiales, longissimæ, quæ similiter perdurarunt vsq; ad Vergiliarum ortum, sed aliquo pacto refracta malignitate post Vergiliarum exortum ardentes præter modum factæ, cum grauib. symptomatibus, inestimabili carniū dolore. aliquot diebus ante Solstitium pauci, nec admodum acute laborarunt. A principio vsq; adhuc inconstantes, recidiuantes.!

His febribus hæc accidebant, quibus largi sudores erūpebantur,

pebantur, ea de caussa maximè seruabantur; quemadmodum sub Cane, & ad Vergiliarū vsq; occultationem. plurimi circa septimam rigeabant, decimam septimam, & aliqui ferius. Erant, qui sexto die morbo regio afficerentur quibus ferè omnibus euacuatio nulla profuit. Aliquibus sanguis plurimus erupit, præcipuè adolescentibus, & adultis, quorum ferè nullus perijt. Senioribus verò ad turbatas aluos, aut disenterias, aliquibus ad morbos regiones deuenit, & omnes ferè perierunt. Iuuenes, qui disenteria laborarunt, propè omnes superstites fuerunt. Vulgabatur autèm hæc sub Autumnum, & circa sequens Æquinoc. Vernum; quemadmodum aliqui Phreniticè ijs temporibus corripiebantur, quorū ferè nullus euasit, eaq; non erat sincera; immò multi comatosi fiebant: omnibus propemodum turbatæ urinæ. maximus carniū, præsertim circa crura, & brachia dolor. copiosus hic humor fuit, maximèq; abundabat; si quidèm, vt diximus, omnibus inconstantes, & recidiuantes febres: vndè aliquibus, cum circa iudicium abundanter sanguis non profluxisset, tubercula ad aures excitata fuerunt, & sæpius euanuerunt, alijs bubones in inguinibus prodierunt. Multæ præterea mulieres languerunt; non tamen ita, vt viri, frequentes; minusq; multæ perierunt: aliquæ circa Æquinoc. vernum grauem partum habuerunt, & à partu in ægritudinem inciderunt, quæ quidèm potissimum moriebantur. plurimis in febribus menses erupuerunt, nonnullis simul & sanguis è naribus, & menses eruptionem fecerunt. Atq; nullam de ijs, quibus horum quicquàm ritè euenit, mor-

tuam cognouimus, nemini propè tam ex viris, quàm mulieribus, senibus, quam iuuenibus iudicium firmum, & perfectum extitit sine recidiua, vermes omnibus.

Annunciabant autèm exitium maius, quibus videbatur quieta exteriùs, conturbans interiùs: neq; siti admodùm cruciabantur, quibus vrinæ cum anxietatibus, inquietudinibus minus à naturalibus recedebant, & omnes ij magis peribant. Quos verò statim ab initio febris acuta corripiebat, parùm, ac sæpiùs rigeant, insomnes erant, grauius angebantur, de corde conquerebantur, sitibundi, fastidiosi. Quibus per totum corpus non sudores fiebant, delirabant, timores, mæstitiæ, extremitates aliquandò subfrigidæ, verùm ad calorem redibant; accessiones diebus paribus; uermes à principio excernebantur; vrinæ pauca, nigra, tenues, confusæ, stranguriæ; nec profluxit sanguis è naribus, aut menses, sed stillarunt, paucis recidiua aduenit. Cæterùm ad 6. 8. 12. & amplius, statim, vel paulatim cum alui perturbatione, vel sudore moriebantur, aut Phrenitide, vt dictum. & quibus in longum producebatur, Comate corripiebantur, ex quibus vsq; ad quartum diem, & vndecimum soporosi permanentes aliqui conualuere. Tam mortui, quam conualescentes incredibili vini appetitu tenebantur: vndè multi celeriùs suum diem obièrunt; nonnulli superstites permansere, quibus maxima non adesset inflammatio: itaq; extitit morborum magnus numerus.

Inter ægros, cum primis moriebantur senes, adulti, qui atro, aut fusco erant colore, qui antea lue gallica affecti fuissent,

sent, qui intēperanter laborassent, comedissentq; . Itē ex hoc genere mulieres aliqua . Inter loca deterius habebāt, quæ ad Meridiem posita, vt Cassanum, Besnatum, Cosuratum, quæ infima, & circumuallata; vt Arni, & Ollonæ Valles, Arfagum, Crugnola; quæ lacubus perluerentur, vt Angleria, Arona, cæteraq; huiusmodi; quæ stagnis abundarent, vt Lonatum Pozoldum, Bustum Arsitium, Samaratum; quorum habitationes ferè subterraneæ, prout in Busto Arsitio, in quo publicæ viæ longè supereminent solo domorum; quorum cubicula, & somni captatio ad terram, vt Fagnagni, & ferè omnibus oppidulis Gallaratum circumstantibus; cisternæ, quàm oppida, cæterum iisdem verbis Hippoc. vti fuimus, vbi & temporum inuersiones, morborum mores, ac partes similes extiterunt; vt Hippocraticam, quam profitemur, doctrinam redolerent; magisq; grata legentibus forent, ac minori negotio conferti valerēt.

*In morborum vulgariū curatione alias indicationes petendas præter illas, quæ in cæteris alijs morbis desumuntur, alioqui*

*tud curare non licere. Cap. 13.*

**Q**uemadmodū enim temporum conditio nobis nota, neq; tamen omnino explicita vi, corpora ad harum vulgò cum signis febriliū speciem disposuit, ac affectit, (vt in omnibus vulgaribus morbis rationi consentaneum fieri videntur) quæ ratione Gal. primo Artis. corat. ad Claud. de signis intermittentiū agēs

vltra alia propofita figna obferuandum proponit, nun-  
 quid in communi vulgarentur; coeli, tamquam conditio-  
 nem respiciens: & Hippo. 2. predic. præcipiebat ad inda-  
 gandam cuiusq; morbi naturam, caufamq; præfentiendū,  
 tum temporis conditionem, tum vulgariū morborum  
 impetum animaduertendum, duas prorfus difiunctas cō-  
 ftituens cauffas, temporis fcilicet manifef tam conditionē,  
 & latentem, tacitumq; impetum: ita noftra fententia, &  
 in curatione maximoperè animaduertendum, qui nam  
 in iudicando à natura tententur, & quos generatim confe-  
 quatur motus: neq; enim fufficere potef t in ipfarum cura-  
 tione, vt fciamus febrem ef fe ab excellenti putredine, &  
 mali moris: fed cum communi cauffa, communi morbo  
 laborent, obferuandum in vniuerfum quænam pugna,  
 quibus talis, quo tempore, quo modò infurgant natura, &  
 morbus, & qua ratione alter alterius victoriam confequa-  
 tur. Illud certè, ad quod Hippo. lib. de nat. hum. refpicit  
 ad morbidam, videlicet, ab ipfo nuncupatam excretionē:  
 tuncq; auxilia accomodanda magis, & minùs, fecundum  
 ipfius naturæ rectè operantis inclinationem. Hifdè enim  
 constitutionibus, diuerfis contingentibus temporibus, di-  
 uerfi fiunt morborum impetus; ita vt in vna fudore dif-  
 foluantur, in alia alui perturbatione; vna cum non admo-  
 dum grauib; fymptomatibus, alia cum fæuib; ac per-  
 nitiofis; aliàs copiofo fudore à morbo liberentur, aliàs hæ-  
 morragia; modò fine recidua, modò non fine, quæ Me-  
 dicos nunc vnã, nunc aliam fequendam excretionem  
 docent. fieri enim non potef t tuta curatio, vbi adminicu-

lantem naturam non habemus; non habemus autem, vbi alios, quàm ipsa instituit, conatus pro salute ægrotantium paramus; vbi aliam à sua eductioni humorum viam sternimus, quod maximè attendendum, vt ex Hippo. & Gal. annotauimus. Et hanc esse causam existimamus, q̄ inter se pugnantes, ac cōtrariæ, experientia persæpè oppositum dictante, in huiuscemodi morbis, à Medicis eliciatur indicationes, à quibus coguntur aliquandò recedere; qui si attenderentur naturæ cum cœli vi impulsus, nullæ profectò, aut pauca forent maiori ægrotantium vtilitate. Vndè patet indicationes desumptas, à magnitudine morbi, coniuncta causa, viribus, ætate, & similibus non sufficere in his morbis, quorum causæ aggregatio, ac affectus qualitas ex communi irruit vi. Si enim in morbis omnibus tempestatum constitutio nobis, quid agendum sit, insinuat; quatenus non peruertit, nec impedit, quin accipiantur faciendi indicationes, vt restatus est Gal. lib. de optima sec. ad trasib. quantò magis in morbis vulgaribus, vbi temporum vniuersaliter conditio, non particularis cuiq̄ victus ratio afficit corpora, attendendi erunt naturæ conatus communiter, & inclinatio, quæ tempestatum constitutionem legitimè magis sequitur, ac moderatur. Quare, cum harum febrium causam in cœli statum retulerimus, hasq̄ pestilentes ( citrà tamen pestem ) nuncupauerimus, quas concedit dari Gal. nè nimis protrahatur oratio ( neq̄ enim nunc volumus differere, nunquid hæ sint ex genere exantematum, an Græcis notæ, vel Italiæ non multum antiquæ; nec signa, & causas diligentius persequi,



sequi, cùm nihil, aut parum supersit otij ob ægrotantium multitudinem ) quamnam rationem habuerimus in mendo, breuiter tantũ referemus, subiungentes naturæ in iudicando, ac propugnando animaduersum morem, nostrâ apponentes sententiã circa curationis modũ, ac viã.

*De Indicationibus, vt in febre putrida desumptis; & qualiter maximo cum periculo seruetur ille vsus semper exhibendi medicamentum leniens ( vt dicunt ) ante sanguinis missionem. Cap. 4.*

**D**Vm ergo ea vniuersalis secundum cœli conditionem naturę inclinatio nos non præoccuparet, aut impediret, vel quid aliud contraindicaret, pestilentium febrium cùm particularem curam à Gal. non haberemus, quàmuis ro. meth. vltimo promississet de his pertractare, summam curationis earum cum Auic. institui-  
 mus, vt corpus scilicet per Phlebotomiam, ac ventris solutionem, vbi opus esset, & alijs ingenijs exficcaremus; quod magna ex parte in putridis similiter requiritur, quæ de causa forsân Gal. de his particulariter nõ pertractauit, satis esse existimans, vt ea adderetur indicatio, quæ à malignitate assumitur, maiorquè virium haberetur custodia, quàm in simpliciter putridis; vt passim ex Gal. colligi potest in lib. de morbis vulg. Vndè & nos simili ratione indicationes institui-  
 mus, venenositati, siuè maius malignitati, putredini, ac febre, vt insisteremus; deindè symptomatibus ( nisi ita sæuia forent, vt ad se præcipuam curam traherent )

herent) virtutis maximam curam habentes. Primum igitur, nè in generibus tantum persistamus, quod iubet Gal. 1. artis curat. ad Glauc. supponentes calorem nativum ad igneum conuersum in corde, mox per arterias, & vniuersum corpus expansum continuè lacescentem, cum malis moribus, ac sæpè manifesta acutie, cumquè virium magis, quàm febris putridæ simpliciter par sit prostratione; ex magna putredine malæ qualitatis humorum, qui in magnis venis propè cor sunt; & quandoquè eorum, qui in ipsomet corde vigent, ob sui multitudinem, crassitiam, aut lentorem obstructionem facientem, febres has accensas statuimus; collectionis autè præcipuam causam; malæ verò qualitatis humorum absolute cæli conditionem, ac temporum anteaكتورum præter naturam constitutionem humidam, ac sæpè calidam, quæ pessima à Gal. censetur; sæpius inconstantem: iuxta enim aeris temperiem, vt ex Gal. ponit. Aerius coafficiuntur etiam animalium corpora; non autè prauam victus rationem, vt aliqui contendebant. Verum quidè est, quòd, si in ea fiat peccatum, faciliùs eadem, & deterius affici possunt. Nequè simpliciter acutæ febres, sed ex non acutarum exactè, aut degenerantium specie iudicandæ, ac statuendæ sunt. Medici enim, qui transacta decima quarta statim medicamentum purgans exhibuere, multos neci tradiderunt; quia post decimam quartam in vniuersum natura resolutionem morbi per sudores, vel aliam euacuationem parabat, & decima septima, vel vigesima perficiebat, quemadmodum vsquè ad quadagesimam: qui, si impediabantur

motus, non nisi malè succedebat, mors videlicèt, aut mor-  
 bilongitudo. Illud contingebat, quòd omnes ferè circa  
 primum septenarium multum acutiei deponebant, sudore  
 post rigorem succedente, spem præbentes omnimodè  
 sæpè consequutæ sanitatis; & tamen transactis tribus, qua-  
 tuor, quinque, & amplius diebus denuò, ac denuò insurge-  
 bant; non tamen propter simpliciter ab ægrotantibus er-  
 rores commissos, sed cœli conditionis in corporibus fero-  
 ciam, quandoquè enecantes, quandoquè longitudinem  
 nanciscetes, ob sæpiùs dictam causam; cum non vnus  
 etiàm humor tatum putrescèret, sed varij propter variam  
 cœli temperiem, à qua non nisi varij humores gigni pos-  
 sunt; cum & non æquè omnes accenderentur. Quod præ-  
 fertim nunc sub ortu Vergiliarum euenit, quo tempore  
 nedùm secundùm dies, sed partem dierum modò calor,  
 modò frigus sentiebatur, modò vnus, modò alius flabat  
 ventus; vbi longissimæ febres factæ fuerunt ob constitu-  
 tionem autumnalem: quod non mirum, nec præter ratio-  
 nem, Appellationes enim temporum non sunt ea, quæ  
 efficiant temporas, sed temperaturæ; dicit Galenus. In-  
 dicationibus nunc verò vt satisfacèremus, nisi aliud nobis  
 insinuaret temporis, ac naturæ cooperantis conditio: hoc  
 libenter repetimus (quod enim bene dictum, non nocet  
 bis dicere, inquit Plato) quia omnes ferè Medicos video  
 hac posthabita, summopere necessaria indicatione, cæte-  
 ris ingenijs ægrotantes non satis bellè tractare. Notunt  
 Nobiles Mediolanenses, quibus non deest pecunia pro  
 perficiendis Medicorum intentionibus, qui deterius mul-

tò habuerunt, quàm pauperes, quibus, in scelectorum auxiliorum defectum, liberalis natura per artificiales euacuationes, nec exasperantium vsum perturbata, ac repressa, ita auxilio fuit, vt sæpiùs, ac multò meliùs (nisi fames eos trucidauerit) caussam euicerint; tãquàm commodiùs vias, aliaquè opportuna excerpens. Indicationibus, inquam, vt satisfaceremus, cum sese nobis contrariæ offerrent; si quidèm febris de frigidis, & humidis indicabat, quæ putredinem, & obstructionem augere valent; malignitas de frigidis, & siccis, quæ meatus corporis constipandi suspitione non carèt; obstructio ingens de valdè attenuantib<sup>9</sup>, quæ huiusmodi, cum calida sint, febrem augere possunt; multitudo de euacuatione, quæ validas requirit vires, & in his febribus nõ satis constantes; immò aliquibus à principio statim languidas deprehendimus, spiritibus aliquo pacto deprauatis à fulliginum malignitate; nec benè hui<sup>9</sup> ratione nutrito corpore, ad id, quod magis virgere videbatur, vt est regula Galeni, non alterius neglecta cura intenti eramus, auxilia parantes primò, quæ malignitatem, ac putredinem tàm factam, quàm fiendam respicerent, nec occasionem maioris ebullitionis in humoribus; & ita febris præberent. Quamobrem ex resolutione; vt iubet Gal. cum putredinem à prohibita transpiratione; prohibitam transpirationem ab obstructione; obstructionem à multitudine crassitie, vel lentore crudorum humorum; malignitatem verò à putredine, & coeli quadam conspiratione, post ipsius coeli coindicationis considerationem multitudinem tollere, & cruda concoquere studuimus;

qui

qui verè scopi sunt pro sananda putredine 3. Artis parvæ,  
 & 1. regim. acutorum; & quàmuis multa adessent pro  
 tollenda putredine auxilia; inedia in primis, frictio, exer-  
 citatio, balnea, vigilia; cùm hæc non nisi processu tempo-  
 ris agere valeant; nos verò, cùm magnus esset morbus, ce-  
 lerrima exquireremus præsidia; ea autèm sint venę sectio,  
 & purgatio, cùm etiam illorum quædam fieri nõ possent,  
 in his febribus, statim, quibus multatudo adesset, nec vir-  
 tus, ætas, aut quid aliud contraiudicaret, iecorariam ve-  
 nam seccare faciebamus, cruditatem non timentes cum  
 Gal. lib. de sang. mis. siquidèm vbi adest virium robur,  
 tanta existeret non potest cruditas, quæ venæ sectionem  
 impediatur. Quandoquè medicina, dicta lenitiua, præce-  
 dente die exhibita; vbi plurimos succos indigestos in sto-  
 maco coniectabamur, nè vacui ratione, vt inquit Gal. at-  
 traherentur ab hepate, obstructionemquè maiorem caus-  
 farent, electiue; ac validè soluentia impactos perti-  
 mescentes; quia in principio tales humores non se exhi-  
 bent, tractui medicamento obtemperantes: vndè mali per-  
 miscentur cum bonis, quod valdè timet Auic. & bonum  
 euacuatur cum malo, quod Gal. non placet, nec ægrotan-  
 tibus conducit; sæpius præmissio solo clisteri, vbi vel circa  
 criticos dies conuocati fuisset, vel feruentis sanguinis  
 copia adesset, vel naturæ contrarium, & opportunum mo-  
 tum reformidarem; morbillosum videlicet citam, &  
 iam luxuriantem expulsionem. Nam non sine infinito-  
 rum nece seruat methodus iste medendi, vt semper ex-  
 hibetur medicamentum leniens ante sanguinis missio-  
 nem

nem, qui in toto ferè agro Mediolanensi talis tenetur; & forsan illud est (omni enim alia ratione huius caussa commercio locus esse deberet) quòd aliqui requisiti, vt nobiscum congrederentur, pro consultanda agrotantium salute, respuerint, diuersam asserentes esse suam medendi rationem à nostra; quòd cum rationalis sectæ, Hippocratisquè, ac Gal. doctrinam sciamus nos profiteri, cuiusnam familiæ ipsi sint, ignoramus, qui magnum facinus videbantur perpetrare, nisi præcedere fecissent florem cassiæ, aut aliud ex lenientibus, si sanguis per venæ sectionem mitti debebat; qui modus, ac ratio medendi periculosissimus est. præterit enim breui sæpè sanguinis mittendi occasio, vel saltèm occasio iuandi. Non necessaria iterum dicim<sup>9</sup> illa lenitio; immò aliter statuit Gal. vt lib. de sang. miss. dùm inquit, vbi igitur sanguinis feruentis copia apparuerit, quàm occissimè euacuare conator; & 10. Meth. in vsum ponit. ità celeberrimus Arceus cap. de curati. Pleuritid. euacuationes, præsertim sanguinis multò ante iudicationes perficiendas admonet. Gal. etiã super Aphor. in principijs morborum, si quid videtur mouendum, exponit de sanguinis missione; quod non fiet, si absquè vlla dierum contemplatione medicamentum exhibeatur. quandoquè enim Medicum cõsulunt in sexta, in septima; vbi, si tentanda aliqua euacuatio, ea esse debet, quæ agitationem in humoribus non causet, quæ impedimentum minùs admoueat, si alium natura parauisset insultum contra hostem suum; vndè nulla præstantior sanguinis missione. Quæ tantò magis perpendèda erât in his febribus;

dum

dum morbillorum extrusionem expectabamus; ubi post modum deonerata natura multò meliùs regere poterat humores, ac commodiùs expellere; quia sat est clisterem iniicere, quò alui excrementa expurgentur, & tantisper (ut vult Gal.) expectare, dum concoquantur in ventriculo eruda, quæ continentur. Non desinebamus quandoquè medicamentum illud leniens die, à qua manè, siue vesperi facta fuisset sanguinis missio, exhibere; si à principio propter supradictas causas præbere non potuissemus, ut tutò deobstruentibus uti valeremus. Erat medicamentum vel flos cassiæ, aut diaprun. non solu. aut syrupus rosaceus sol. vel manna, quid stimuli addendo, si opus erat, ex trocif. de viol. & scam. vel elec. ros. mes. dissolutis cum decoc. tamarindorum, & florum, ac fruc. Nequè aliquis arguat nõ posse exhiberi medicamentum purgans tunc temporis; quia in principio crudi humores sunt (concocta enim esse debent, quæ debent medicari) quia respondemus; primùm, quòd læuia sunt; & etiã, quòd tenues humores, quàmuis crudi educi possunt. sententia aperta, & ad rem est Gal. primo de humoribus, ubi inquit; sunt porò crudorum humorum duo genera; eorũ alter tenuis, & aqueus est; alter crassus, & glutinosus est; qui in partibus corporis impactus; tenuem verò, & aqueum euacuare expedit; priusquã à calore febris exalfiat, pungatquè, ac mordeat: at crassum, & glutinosum concoctum, & fluidum reddere; priusquã medicamento purges (Hoc enim scitũ est; corpora cum purgare quis velit, fluida esse facienda, ut censeuit Hippocrates) quæ verba iam ad alium sensum vllò pa-

cto trahi non possunt; alijs rationibus pro nunc omis-  
 sis, vt quod cum intentio euacuandi, tum per sanguinis  
 miss. tum medicamentum purgans, à sanguinis missione  
 incipiendum sit. 6. epidem. partic. 5. lib. 5. Quomodo  
 autem, & quando abstinerimus à sanguinis missione, &  
 alijs vteremur ingenijs, capite de cucurbitularum vsu re-  
 feremus.

*De Cucurbitularum vsu, ac vi. Cap. 5.*

**C**um iam antea verba facientes de euacuatione per  
 sanguinis missionem diceremus, non semper ad  
 eam deueniendum, sed obseruandum naturæ à  
 coeli conditione impetum, & cucurbitulas cum scarifica-  
 tione sæpè satisfecisse; nè sine ratione loquentes erubescam-  
 us, institutum, ac viam, quam in discernendo sequuti sum-  
 mus, par est addere. Verùm prius examinandum venit:  
 nunquid absque maximo damno, nulla alia præcedente  
 euacuatione, ipsarum appositio perfici possit: præcipuè  
 cum Galenus, Aetius, Oribasius, & præcipui alij ex Græ-  
 cis reformident, damnarequè videantur ipsarum applica-  
 tionem, nisi optimè purgato corpore; cum cucurbita à  
 centro ad circumferentiam violento motu trahat; vnde  
 repleto existente corpore obstructionis, maiorisque dam-  
 ni ex irritatione causa esse possit. Etenim 13. Meth. 19.  
 in vsu cucurbitularum mundatum requirit, vt materia  
 foràs euocetur; non autem, tuentibus humoribus, maior  
 vt naturæ insit difficultas causam in superando. Quibus



respondemus Gal. maximè supponere corpus mundum, vbi pars affecta, cui apponitur, repletionem magis laborat, & periculum, nè adhuc magis, quàm reliquæ partes corporis, vt cum phlegmone tentatur, nè decubitus humorum fiat maximus contra intentionem, quæ partis euacuationem procurat; quod Aetius significauit cap. 20. Serm. 3. dum in ipsarum vsu, partis tantum corporis mentionem facit, cui procuretur euacuatio: non autem, quando per vniuersi corporis superficiem æqualiter natura tentat multitudinis exolutionem. Eius verba sunt. Nequè in morborum principijs, nequè in corporibus repletis cucurbitis utemur; sed cum euacuatum fuerit totum, & nõ amplius influxerit parti, cui cucurbitæ sunt adhibendæ, & opus fuerit mouere, ac excutere, & attrahere relictam in parte inutilem fluxionem: non autem vbi materiam, non ad aliquam determinatam, & solam partem; sed ad totius circumferentiam transmittit, & interna per ambientis qualitatem, ac cœli conditionem à plenitudine vindicari solent. siquidem quod vsu cucurbitulæ simpliciter consequi non valemus, vt videlicet tanta fiat euacuatio, quanta attractio; ex natura morbi, & cœli conspiratione absolutam quandoquè haberi, negari non potest. cum enim per quasquè minimas, & infinitas partes continua fiat exolutio, à qua nedum malignitatis, sed multitudinis alleuatio fieri valeat, contentionem consequi licet; quod contingere non datur, si in vnum locum copia redacta sit, cœliquè non concurrat vis; vbi per tam minimas, & frequentes partes non potest à natura exolutio fieri, sed potius causa admo-

ueri ad partem affectam trahendo. In nostro verò casu totum oppositum præstatur: quia scapulis, coxis, & dorso si apponuntur, à corde, cerebro, & hepate materias auerunt, circa quas partes nobiles, sed præcipuè cor, febris negotium gerit, ad ignobilesquè reuocant. Vndè in hac cin- tillante febre (vt Fontanerenfes appellant) cum per hanc euacuationem cutaneam, per relegationem multitudinis, & malæ qualitatis à corde ad extimas partes natura morbum conuincat, earum non est ità reformidandus vsus, vt nundum per medicinam euacuato corpore; instantibus tamen indicationum viribus, abstineamus. Quod nos seruauimus magna ægrotantium utilitate; quandoquè leniente medicamento, antea exhibito; aliquando solo enemate iniecto; & quandoquè sine: vbi non magna foret repugnantia, vniuersalis naturæ imperus suaderet, & natura aliquo pacto sese exonerasset per aluum: quod sæpissimè contingit in pauperibus. Hic medendi modus, vltra experientiæ testimonium, Hippocratis autoritate stabilitur, dum præcipit, quò natura vergit, eò ducere oportere, & per conferentia loca. vndè cum peculiaris, ac propria magis, multumquè conducens nulla alia sit euacuatio in morbillari febre, quàm morbillos extra nobiles partes projici, tamquàm malignam materiam cor lancinantem, spiritusquè citò resoluentem, adiuuandus erit, ac persequendus iste motus: si quidè omnes alię euacuationes irritę sunt, ac potius nociuæ; si post, iam factam ebullitionem, malignitas illa non exterminetur, sed circa cor tentoria figat. Quot enim perière post hemorrhagias sudores, & alias no-

tabiles

tabiles euacuationes tempore eò, quò Medici salutis magis certè spem pollicebantur, malignitate cor reperente, & quàm sepè natura à principio per illorum exitum, longinquo à corde existente veneno, illud effecit, vt nedùm malignitatis, sed multitudinis opprimētis vim effugeret, alias valens tentare euacuationes; vbi in intimis dùm resideret, quibusuis externis præstitis auxilijs, non erat potis. persæpe tamen, & libenter, antequam omnibus conatibus insurrexisset natura ad morbillorum expulsionem ( nisi aliam nos doceret cœlum sequendam intentionem ) pleutorico existente corpore, & quandoquè etiam apparentibus, in principio vsi fuimus, cuius diuersitatis mox rationem reddemus. Nequè solebamus illum motum, illam protrusionem improbare, & si ante septimam fieret, quæ admodùm multis videtur damnandus, dicentibus symptomaticum esse; quia non multitudine, sed inimicissima potius qualitate, ac pernitiōsa, natura excitatur ad expulsionem; & meliùs est sanguinem depurari, quàm reserua-  
 ta ad intra uenas malitia cordis vires depauperari, ac spiritus exolui; nec valet illa ratio in hoc morborum genere, vt non possit à natura in salutem agrotantis tentari expulsio aliqua ante septimam, & alios decretorios dies; tanquàm quòd natura nundùm benè concoquerit humores, nec bonum à malo separauerit; quia in hac cita expulsionem quicquam boni non sequitur euacuatio, quemadmodùm fit, vbi vel aluum, vel sudores, & similes ante tempus mouet euacuationes; vno vt verbo dicamus, quandò contra multitudinem potius, quàm malam qualitè agit. dùm enim

in hac depulſione mala qualitas aliqua remouetur, expurgatur, ac, vt ita dicamus, purificatur maſſa ſanguinis; vnde non ita patitur, nec lancinnatur cor, & ſaniores eleuantur ſpiritus, non ſolum pro nutritione partium, ſed pugna contra laceſſentem: quocirca debilitatis loco (quod in multis alijs euacuationibus contingit) ſape alleuationem naturæ vidimus, quemadmodum fit in peſte; vbi, ſi natura antequam accendatur febris, in principio bubonè, aut carbunculum eijcit, melius vincit hoſtem, quam ſi permixta malignitate expectet concoctionem. vltra quod fatetur Galenus in malignis, ac peſtilentibus morbis bonas criſes raro accidere. Ratio etiam, qua contendunt ante concoctionem, non fore aliquam procurandam euacuationem, nec excitandum in humoribus motum, non militat; quia illorum tunc expectanda concoctio eſt, qui ad bonitatem reduci poſſunt, aut ſaltèm ita prauitatem exuere, vt quàmuis moram trahant in corpore, ex ea periculù vitæ non imminet, & eorum item in quorum euacuatione bonum ſimul expellitur cum malo. Quare, cum malignitas illa humoribus permixta vitali præcipuè facultati exitium minetur, timendum continuè, quin ipſam ſuperet: vnde, ſi natura illam exterminare tentet, adiuuanda erit, celebratis prius euacuationibus Natura, vel Arte idoneis; cum niſi prauit tunc tantum fiat expulſio, quod oſtenditur facili ægrotantium tollerantia, ac vtilitate, quæ ſequitur. & in humoribus paruus magis pertimeſcendus motus, vbi malignitas intus, & circa præcipuas partes agit; quàm vbi magnus ignobiliores, ac externas vexat; immo  
 el  
 obſtat

obstat tunc, quin fiat concoctio, deprauatis spiritibus, & sanguine. quòd hoc verum sit, ante expulsionem morbilorum aegrotantes continuè suffocari videntur, cordisq; maximas affectiones cum ingenti virium prostratione patiuntur. &, vt experientia docuit, quemadmodùm iam diximus, quibus retardata depulsio post septimam, deterior generatim erat morbi conditio. Quare nec terminus constitui potest, septimæ, vel alterius diei iudicatorij; vt ante videlicèt septimam, vel alium decretorium diem, his apparentibus fieri possit sanguinis missio, tanquàm quòd symptomaticæ sint expulsiones; quia & ante rectè, & iudicatoriè potest fieri talis expulsio; nec ità symptomatica, quin sæpissimè cum naturæ alleuamento fiat; vbi, si præstetur sanguinis missio, mortis causa esse poterit: vel quia natura generaliter tentet ità morbum conuincere, & impedimentum fiat; vel quia, aliquo pacto iam depurato sanguine, bonum euacuetur, & prauum reuocetur; cùm præter vibices extra cutem apparentes adsit in via materia venenosa, intra carnes videlicèt foràs expellenda, quam continuè natura aggreditur, vt eijciat: vndè fieri potest retrocessio; si non iam extra cutem proiectæ, eius, quod est in uia. Et refrenatur natura, tùm quia euacuetur iam defecatus aliquo modo sanguis, tùm quia alius tentetur motus, reuocatur verò, qui iam segregatus fuerat prauus, minusq; idoneus pro nutritione, ac robore partium; ex qua euacuatione, quamuis minori, uirtutis tamen maior necessatiò debilitas prouenit, quàm si ante depurationem in maiori quantitate facta fuisset. Illud periclitatio patefe-

cit, cum per sanguinis missionem, quamuis paruum, multi perierint, & maior pars, quibus appositæ tantum fuerunt cum scarificatione cucurbitulæ, aliquibus temporibus conualuerint. Non tamen ab ea abstinuimus, ubi natura, vel per ambientis qualitatem, orbium Spiritus incursionem susceptum munus per illas euacuationes generaliter non soleret explere; præcipuè ante apparitionem, & aliquandò, quamuis manifestè extra cutem conspicerentur; dummodò plethorica corpora forent, in quibus excellentis putredinis suspitio adesset, sed in minori quantitate; ubi sine infirmorum commodo natura, nec cum boni iudicij signis, nec populari cursu ita propelleret; quia tunc in oppressione adiuta natura validius contra causam insurgere poterat. & quibus plenitudo adesset, vires verò non præualidè, hirudines sedi venis admoueri procurabamus, eaq; quantitate sinere vt sanguis prodiret, quæ deoneraret, & uiribus non officeret: aliquibus admotæ fuere post alias etiam euacuationes, ubi magnitudo symptomatum, ac febris de maiori indicaret euacuatione, vt in sequentibus referemus, neq; alia contraindicatio præualetet. periculum verò retrocessionis, debilitatisq; tunc non timebamus; quia ea quantitate fiebat, vt utriq; fieret satisfactio: verum quidè est, quòd inuitè magis ad eam deueniebamus, ubi iam antea admotæ fuissent cucurbitulæ (quod pauperibus erat vsitatum) quia natura inuitata ad euacuationem illam cutaneam, & accelerata, ad alium postea motum, & euacuationem deducta per venæ sectionem, non ita facile poterat ad institutum regredi; nisi paucum

inter-

intercessisset tempus, & maximè pletoricum corpus, ualidissimarumq; uirium, quòd exemplo monstratum fuit. Sed maximam dubitationem post indicantium, ac contraindicantium animaduersionem, exemplo, ac experientia remouere uoluimus: Nunquid uidelicèt iàm peractis euacuationibus tùm per medicamentum purgans à principio, tùm sanguinis missionem, tùm cucurbitulas cum scarificatione, harumquè repetitionem, repeti possit sanguinis missio per venæ sectionem, & in actu pratico posuimus cum optimo successu. Siquidem Gallarati iuueni egregiæ, ac ornatissimæ de Maferis nomine Susanna, cùm iàm ageretur decimus quintus dies, quo laborare cæperat, ad principesquè partes sanguis recurreret, deque maximo incèdio conquereretur, perpetuis vigiliis torque-  
retur, inquietudine lacefferetur, reiterata fuit sanguinis missio è vena saluatella man<sup>o</sup> dextræ ad vncias sex, ià antea benè purgato corpore è Syr. ros. fol. facta phlebotomia, è vena hepatis brachii dextri ad oncias octo, iteratis sæpè cucurbitulis cum scarificatione; cùm expectantes in undecima, aut saltèm decimam quarta, aliquam crism, tàm per alias euacuationes, quàm per morbillorum expulsionem vlla uisa non fuisset; nam nequè sudores apparuerant, & morbilli, qui sexto conspicui facti, ante undecimam delituerant; nec amplius, frictionibus, cucurbitulis, & alijs ingenijs reuocari potuerant. & ea ratione ad hoc deuenimus; quia maximè sanguineū erat corpus, validissimarum uirium, & periculum suffocationis ex concursu sanguinis ad intimas partes; & morbilli eius erant coloris, vt

sanguinis multitudinem potius, quàm malam qualitatem  
 representaret. Vndè, quod expectabamus, euenit omnium  
 simpromatum supradictorum imminutio, uidelicèt ma-  
 ximi incendij querelæ remotio, ac febris magnitudinis  
 euacuatio. Aliquo tempore tam apparentibus, quàm nō  
 apparentibus antè, vel post, solis vsu fuimus cucurbitulis,  
 impetum illum morborum à cœli conditione coindicantem,  
 tam sæpius à nobis repetitum obseruantes. Quòd  
 nec aliqui præter rationem factum dicant; cum rectè actū  
 experientia etiam confirmaret. Si quidem Fagnani sub  
 canicula nemini mittere sanguinem per uenæ sectionem  
 permittebamus, tum quòd videremus optimè naturam  
 ab extrusione morbillorum intra septimam alleuiata; in  
 septima postea, vndecima, & alijs decretorijs diebus per  
 sudorem facillimè, ac opportunè superare; tum quia ex  
 Gal. 2. de morbis vulgaribus, calida, & sicca existente con-  
 stitutione magis, & facilius euacuantur corpora; quod  
 Gallarati, & alibi aliquo tempore præstitimus. animad-  
 uersum enim in toto, vt ita dicamus, morbillari tempore,  
 quandoq; euidentem vtilitatem attulisse sanguinis missio-  
 nem, aliquandò damni non obscura inditia; aliquo item  
 in loco meliùs, in alio deterius nunc ex vna, nunc ex alte-  
 ra euenisse euacuatione: quemadmodum & in his vulga-  
 ribus, qui malignissimi sunt, obseruatum sæpè fuit. Nam  
 Venetijs Hieronymus Bonimpertus Nouariensis, vt refert  
 Ioannes Costeus Præceptor meus, reè medicæ peritissimus,  
 non multis ab hinc annis, cum pestis per totam ferè Ita-  
 liam vagaretur, omnium primus, alijs omnibus reluctan-  
 tibus,



tibus medicis, felicissimo euentu contrariam, iamquē inueteratam opinionem sui magna auctoritate euerit; & quod alij tamen tunc temporis alibi locorum, quibus sanguis missus fuerat, interijſſe omnes obseruarint, viri alio qui doctissimi. Animaduersum item post ea tempora frequentissimè quandoquē rectè cessisse, nonnunquam male. Ita vt, si rationes cum experientia perpendamus, statuere simpliciter, (vt fieri in omnibus non vulgaribus morbis datur) non possimus, vtrū præstandum sit vnū relicto altero, & an alius antè, vel sine alio. Quare illa temporum conditio, ille naturæ in omnibus motus, illa cæli conspiratio, quæcumquē sit obseruanda diligentissimè, num coindicet, an contraindicet alijs indicationibus; & quos morbi fortiantur mores, motus, ac exitus notandū, ac speculandum.

*Quomodo sanari habeat putredo in Febris (per digestiua vulgò dicta) & vtrū Acidis in morbillari securè uti possimus.*

*Cap. VI.*

**P**Ræcipuos pro sananda putredine ex Gal. supra posuimus scopos esse tūm euacuationem, tūm concoctionem; nūc, postquàm de ea in principio conuenienti euacuatione tractauimus, tempus est, vt ad concoctionis formam alterum scopum accedamus; & quia vltra putredinem, & febrem malignitati simul attendendum, magnus scrupulus apud me semper extitit, num acidis liberè vti possimus; cū experientiæ vsu, tūm Gal.

aucto-

auctoritate, & rationibus suspitione non uacent ( nam me-  
 re astringentium usum in quibus vis febribus putridis præ-  
 termittendum absolute censemus primo reg. auct. cum  
 Gal. ) nisi propter aliquod symptoma, utpotè animi deli-  
 quium, ijs tantisper contra symptoma pugnandum sit.  
 Multi tamen, quò quis plus succi limonuni, aurantiorum,  
 & similium ingesserit, eò à mortis periculo securum eum  
 magis existimant: audaciæ, ac licentiæ arma desumentes  
 ex Gal. quarto de simp. med. fac. cap. 7. vim eorum di-  
 centis esse penetrandi, ac corpora disseccandi. Vndè ultra  
 id, quod malignitati resistere poterunt, valebunt etiam  
 ad deobstruendum, cum tenuis consistentiæ existant.  
 Attamen primo reg. auct. ubi ex professo Gal. de febriū  
 putridarum curatione agit, acida connumerat inter ex-  
 asperantia, quæ nociua admodum ponit ijs, qui putridis  
 laborant febribus, his uerbis. exasperanti lene opponitur;  
 exasperant autem, acria, acida, & astringentia. Lene autē  
 illud esse debet, quo uti debemus in acutis febribus ( ut in  
 nuit pthisane laudes percurrendo) tum ut, quod iam exu-  
 stum est, euacuetur; & quicquid ex humoribus conco-  
 qui potest, ut concoquatur. hac oratione manifestè do-  
 cens impedimētum per acida fieri in euacuatione, & con-  
 coctione: quamuis enim acida penetrent humores, cor-  
 pora tamen exasperant, quæ exasperata difficilius expelle-  
 re contentos humores possunt; præsertim si in paruis con-  
 tineantur uasis, ut uenis, sicuti accidit in istis febribus;  
 quod tamen similiter efficere non possunt, ubi in magnis  
 continentur cavitatibus, ut ventriculo; quia talis per exa-  
 spe-

sperantia partium contractio fieri non ualet, quin remaneat multum vacui, vt ita impediri non possit expulsio; vnde nec concoctio, ratione qua magis diffiliari possunt. Itaut, & si detur non succedere opilationem respectu humorum, & succorum, euenit tamē à contractione per exasperationem; ex quo nequē expelli, nequē cōcoqui ita perbellè possunt humores. subiungit ibi etiam Gal. acria sanè omnia calfaciunt, vt eruum, fœnum græcum, acidorum cætera quidē dimittere oportet, de oximelite verò dumtaxat agendum. Quare Gal. absolutè acidorum consuetudinem expressè interdicit, nisi mellis lenitate vis eorum obtundatur, vt in oximelite euenit; quod si timet aceti vsum nisi contemperata ex melle aciditate, quod sine dubio tūm exasperatione magis, quàm cætera acida spoliatum est, tūm minus in dubium reuocari debet, an astrictiōnis alicuius causa fiat; quantò magis limonum succi, & aurantiorum; quorum natura cūm absolutè frigido constet (vt & fatetur Gal.) frigidi autem ex Arist. sit condensare, ac cogere, meritò magis timenda familiaritas. illam enim habent acida hæc cum austero, ac acerbo coniunctionem, vt uix vnquam absoluta ab his reperire detur. Gal. etiam in adeò numeroso plantarum examine præter oxalidam pro exemplo dubitat proponere; & si verum fateri licet, non omninò acerbitate vacuam deprehendemus. Quamobrem Gal. consilio uidetur, quòd prætermittenda sint, vt concoquatur, quod concoqui opus habemus, & quod exustum est, ac euacuandum, euacuetur; quæ operationes necessariae in curandis putridis febribus.

Hæc Galeni placita elicere voluimus, non omnino vt sub-  
 mouendum illorum vsum existimemus; immo iis uten-  
 dum quandoquæ censemus, præsertim citri acido, tam-  
 quam magis temperato, & ex aceto compositis, vbi uel  
 mellis, aut sacchari remissa fuerit aciditas; & quando solis  
 per se vti volumus, tunc faciendum; tanquam accidentis  
 ratione, pro scilicet extinguenda siti, appetitus restauratio-  
 ne, ac caloris præternaturalis contemperatione. Verum  
 expressionem illam tam liberam, ac frequentem in cibis,  
 in iusculis suspectam mirum in modum habemus, Gal.  
 autoritate primo acutorum, qui illas qualitates in cibis  
 multò magis timet, dum inquit: præterea cum febres, & ex  
 humorum putredine oriantur, non paruam diligentiam  
 habere oportet, vt, quicquid ex ipsis concoqui possit, con-  
 coquatur; et, quod iam exustum sit, nequæ ampliùs con-  
 coqui possit, euacuetur: quòd si febrientibus ipsis cibi  
 vsus sit, qui hæc efficere queat; si etiam facillè tum conco-  
 quitur, tum distribuitur, iam omnia, quibus est opus, ha-  
 buerit; quæ omnia ab exasperantibus impediuntur, vel sal-  
 tèm imminuuntur, aut retardantur. &, quod deterius, absq;  
 vlla differentia exhibent tam nobiles, quam ignobili-  
 bus; tam his, qui nè quidem antea degustassent; quam qui  
 liberè vsi fuissent, qui si per sanitatem illorum quid assum-  
 pssent, non leue damnum consequuti essent. quæ autem  
 consuetudinis sit habenda ratio, & quanta illius potestas  
 monstrabat Hipp. in comoda percurrendo, quæ sequun-  
 tur ijs, qui repente consuetudinem permutant. adde, quòd  
 vitiatur concoctio ijs præsertim<sup>t</sup>, quibus ventriculi inna-  
 tum

tum calidum imbecille, quibus & retardatur, distributio; quod per sæpè experientia comprobauimus. multi enim ob aurantium, & limonis succi vsum, grauitatem, pondusquè maximū retulere, præsentire, non possequè alimētum pænitiore partes permeare aliqui. ex ipsorum familiaritate infestantem nimis singultum passi sunt, exasperatis partibus circa os ventriculi, vbi corrugatis tunicis retentionem aliquorum humorum parti infensorū fieri oportebat, quod ostendebat sanatio per discutientium, ac rarefacientium facultatem a nobis in quampluribus facta. Quorum rationem inuestigans mecum excellens Hypopolitus Frotta Varisiensis Physicus, dūm essemus Carnaghi pro cura vnius nobilis viri, illud fieri posse proponebat ob tristem sensum à frigiditate, quibus frigidus erat ventriculus, & vellicatione; quæ nec satisfacere videntur, cū ad sint nedūm frigida, sed frigidissima, & vellicantia, quæ illum excitare non valent; quare exasperatione potius quorum vim talem esse statuit Gal. ( modo dicto continget. ) obseruauimus etiam longo vfu eos, qui sibi familiare illorum succum faciebant, difficillimè ad sudores prouenisse, hypochondriorum tensionem habuisse; pauperes verò, quibus illorum deerat copia, & eorum loco leuiter aperientibus, ac refrigerantibus vtebantur, ad validos sudores, & maximos ferè omnes deuenisse; quæ comprobant, quod annotauit Gal. illo regiminis acutorum. nulli enim ex frigidis insignis illa penetrandi vis inest, aceto excepto, ob tenues, & calidas aliquas partes. & hæc quantum angustia temporis patitur circa acidorum potestatem.

nunc ad institutum reuertentes alleuiata natura per phlebotomiam, & ventris solutionem, si opus erat; quamuis Gal. exemplo, 11. Meth. 8. & 9. leuiter sudorem prouocantibus, vel urinam; aut vomitum cientibus vtendum fuisset, abstinebamus tamen; ebullitionem illam ingentē, quæ fiebat in humoribus in his febribus timentes; cum huiusmodi calida sint, & ibi scribat Gal. cum magnitudo febris vrget, nullo, vel leui calefaciente vtendum, sed aquā frigidam dare oportet; Si verò febris mitior extiterit, eā saltem materiam diligere oportet, quæ minus calefaciat. & alibi, seligenda ea Medicis sunt, quæ citra valentem excafactionem supradictas euacuationes præstent, cuiusmodi inquit pthisanæ cremor, & aqua multa, & oximel, &c. vt quod putrefactum erat educeretur; & quod erat paratum putrefieri, prohiberetur. Quare his tractabamus opus perficere, quæ caliditate carerent, aut paucam possiderent, vel his admixtis, quæ retunderent caliditatem; nisi expeditè, & vniuersim natura per sudorem perbellè causam conuinceret, quòd habebamus ex ipsarum febrium impetu generali, ac solutionis modo. Et quia nonnunquam febris, aliquando putredini, sæpe illorum causæ attendendū est, prout pulchrè scribit Gal. eo. 11. Meth. 9. ibi, quippè ipsius febris frigida pota perpetuò est remedium, non tamen putrescentium humorum per aluum, urinas, vel sudorem vacuandorum. Quò magis exercitatum esse in his, quas nunc tradidimus Methodis, oportet, ac in agrotantibus considerare, quæ sint ipsius febris remedia, & quæ ipsius, vbi per se sola subsistit, putredinis: quæ rursus effici-

cientis hanc causſæ: atq; huius quoq; cum per ſe ſubſiſtit; Quippè non ſemper inter ſe conſentiunt hæc omnia, ſed plerumquè aduerſantur, quo caſu memores eorum, quæ didicimus, id, quod maximè omnium eſt, aggredi oportebit, atquè ei ſoli, vel magis quàm cæteris ſubuenire. Sane ſcire licèt difficile eſſe, acricq; iudicio indigens febrem, putredinem, & effectricem cauſſam; vbi ſcilicet ipſa quoq; adeſt, inter ſe conferre. Ideo non ſemper eaſdem intentiones, eodem tempore, nec eodem modo abſoluebamus; quia vltra repugnantiam; quæ videbatur in indicantibus ratione putredinis, cauſſæ, & febris, aderat, quæ à malignitate; ſed omnibus quantum fieri poterat attendebamus; nunc vni, nunc alteri magis; prout magis vrgebat. Vnde ſæpius malignitati, ac putredini, exhibendo ea, quæ vim haberent reſiſtentem malignitati; & quæ prohibitam tranſpirationem putredinis cauſſant ſubmouerent: & ità cum materiam omnem obſtructionem facientem, quæ prohibitæ tranſpirationis per obſtructionem erat cauſſa, educere non poſſemus, ad ipſius inciſionem, viarumquè reſerationem intenti eramus: niſi enim apparentibus ſignis manifeſtè, ac bonæ digeſtionis, & natura, ac morbi impetus permitteret, ad purgationem non deueniebamus poſt morbi principium; ea interim exhibentes, quæ vim haberent magnam illam ebullitionem refrenandi, vſquè ad ſeptimam; præſertim, vbi apparebant maximi feruoris inditia, ac ſimptomata; quæ in omnibus ſerè deponebant acutem circa ſeptimam, vnde ea tranſacta maiori cum fiducia ad magis incidentia per ſudores, urinaſquè ducen-

tia transebamur; nisi vniuersalis illa conditio, ac vis in iudicando nos admoneret, vt antea vteremur; quemadmodum aliquibus temporibus euenit, in fine videlicet præteritæ æstatis, vbi sudorem elicientibus à principio laudabili, ac optimo euentu vtebamur. aliquibus etiam temporibus propter incōstantiam febrium (vt in hoc præterito proximè vere) vsū horū magis retardabamus; quia in septima remissus adurens calor, paucis interpositis diebus denuò insurgebat, & aliquandò validior. & vt ad particularia descendamus, pro satisfaciendo ijs intentionibus, syrupum acetatum simplicem, de cicorea, de acido citri, de succo acetosæ, de lupulis, circa acutiem morbi frequentabamus, cum decoct. rad. graminis, foliorum acetosæ, cicoreæ, lentium, lacæ, ordeo, passul. femin. citri, & florum cordialium, in magno æstu portulacam addendo 4. Sem. communia frig. maiora; in frigida constitutione, & non multum acuta febre radicem tormentillæ. Transacto verò primo septenario in multis morbillorum expulsionem procurabamus, addentes ea, quæ à centro ad circumferentiam ducere possunt, vt ficus, radices, & sem. petros. fenic. & similia; aliquandò, vbi tumor in hypochondrijs adesset, portionem agrimonij cap. u. aut scopolendrij, & quia sæpè fiebat morbus chronicus in vsu ducebamus serapia de bisatijs, de 2. radic. de cap. u. oxim. simp. & huiusmodi. loco syruporum, quibus virium instabat lapsus, alterata iuscula pulli ex superius dictis folijs videlicet acetosæ sem. melon. passul. & flor. cordialib. ordinabamus. Nonnunquã pusillū laxamenti nature dabamus



mus, vt se se recolligere posset ab omni stomachatium medicamentorum vsu abstinere iubentes. Quod Acrius consuluit in omni morbo difficili, nec breui de disenteria loquens, & si verum fateri licet, minori negotio morbum conuincere ijs, qui partim naturæ causam remissere; ijs, qui medicorum consilio ipsam ex medicamentis continuè lacefcendo arte vim morbi omnimodè superare tentati sunt. Pauperes enim, qui tum per inopiam, ac voluptatum, & dilitiarum nec dulcedine capti, mortem non timentes, medicos non ita sollicitauerè; multò facilius, ac melius, non rarò morbi malignitatem euasere; nisi resolutis viribus, cum non haberent, vnde restaurarentur, relapsi ob prauum cibum, (cum etiã illius naturæ essent illæ febres, vt longè maius esset conualescentiæ tempus, tempore aegritudinis, eneruati què remanerent mirum in modum aegrotantes) perierint; non quin natura oportunè, & legitimè inimicum superasset; Et certè nulla alia ratione, nisi quia natura soluta tot irritamentis, tot què perturbationibus explicita, præcipuè dum iudicaret, infensis humoribus superior esse poterat; quòd ità benè contingere non dabatur; quibus per sanguinis non oportunam missionem, medicamenta purgantia, exasperantium vsus, & alia agitata, opera illa interturbabantur, quæ natura, cum cœli vi impulsu circa cutaneas partes exercere aliquando euidenti còmodo solebat. Non tamen, vt sanguinis missionem, & alia improbemus, hæc retulimus; sed, vt obseruato more naturæ generatim in superanda causa, debitis temporibus aegrotantibus auxilio simus, si quidem consilia

consilia ex euentu non ex voluntate in multis probari solent. Vndè Fagnani, & alibi absquè sanguinis missione, & quandoquè sine purgantis medicamenti exhibitione, cum natura satis bellè per sudores iudiciù faceret, in principio morbi, aliquo tempore pauperibus erat prescriptum decoctum ex rad. gram. petrosilij fenic. passul. ordeo, folijs portulacæ, acetosæ, & flor. scabiosæ; aliàs adiungentes rad. pimpinellæ sem. petrosilij, folia cicoreæ; prout dabat tempus, & indicationum potestas, nunc prohibendam ebullitionem, nunc ad exitum morbillorum, nunc sudorum; vel quid aliud insinuaret, vniuersalisq; vis induceret.

*Quibus ingenijs morbillis attendendum. Cap. 7.*

**E**T quia sæpè contingebat, dùm ijs insisteremus auxilijs, cutis efflorescentia; tunc omnibus ingenijs illum morum adiuuare conabamur. Quare apud parentibus morbillis obseruatis, quæ superius posita fuerunt, circa euacuationes sensibiles, illorum exitum procurabamus, tam ijs, quæ attraherent a partibus internis, tum quæ ad externas propellerent; quam, quæ vires cordis seruarent, à malignitate quæ ipsum diffenderent. & pro proci pullandis ad eutem; aliquando vsumus decocto ex rad. aut sem. petrosilij, caricis, lentibus, passulis, & alijs supra positis secundum indicationum vim. Pro verò attrahendis, ictionibus, & aliquando cum purpureo panno ad facilitandum exitum, cucurbitulas non prætermittendo. Quæ, & ante septimam, & quartam quandoquè præstabamus,

mus, vbi euacuata iam forent interna, vniuersalisquè morbi motus insinuarent, iubentes, vt ægrum pannis ita superstratum seruarent, vt non videretur suffocari (quod ab aliquibus malè tentabatur) nequè frigus præsentiret. cordis autem tenor, vt manuteneretur, & maligna à se ipso retineret, ante cibum quotidie ægotantes assumere faciebamus parum pulueris cordialis, margaritarum, aut vnicorni. In meridie verò vnciam mediam confec. cord. aut mansch. perla superbibendo patum iuris pulli, vt supra alterati, quandoquè etiam quid acetos. citri. Lapidem bizar commendare solebamus, exhibendo ad grana quatuor, aut quinque vel cum acido citri, aut iure, vel aqua decoc. rerum cord. mane: sed quia maxima pars adulterata, & multi pretij, pauperibus eius loco alia subrogabamus. nonnunquam epit. cordis utebamus, vbi deliquit, anxietatum, ac doloris cordis instaret motus: Quamuis hoc genus auxilij ab aliquibus improbetur; tanquam si frigida sint, quod putridos in corde existentes vapores reprimere possint; vnde augeatur inde putredo, ac malitia, si calida ad febrem accessionem faciant. Quibus obuiam inus non esse applicanda, nec impensè frigida, nec calida; sed remissè contraria excessui præter naturam, immiscendo aliqua, quæ cor propriè respiciant, si quidem, si in omnibus membris illud obseruandum, vt alteratio peti contraria fiat, illorumquè forma seruetur, multò magis nobiliù, vt cordis partialibus, nec suspectis auxilijs fouenda, ac custodienda vis; quæ non sibi soli, sed alijs virtutem impartitur, & nec retinere putridos vapores, aut febrem augere valeat.

leat. Quare, ne frigiditate, aut caliditate nocua essent, parabantur ex temperatis speciebus pro epit. cordis, & aquis melissæ, buglosæ, ac rosarum. Et quia per odorata spiritus, cor, cerebrumquè recreantur (vt omnes concedunt) odoraméta concinnère faciebamus, ex modico vini albi, aqua ros: & frustulis corticum citri, Ambra, & similibus, si diuites erant; à floribus etiam quid petentes, vnde rosas gelsiminum dictum commendabamus, aliosquè fructices, ac flores redolentes secundum temporis opportunitatem.

*Quantitatis ac qualitatis ciborum Hypotesis. Cap. 8.*

**P**RO multitudine remouenda superius dicebamus multa esse, verùm præter purgationem, ac sanguinis missionem, alia non nisi tractu temporis munus illud præstare non valere; inter hæc connumerantes tenuem victus rationem, quæ magnitudinis febris respectu adhibetur; nedum vt non addatur causa, sed vt natura liberè incumbere possit suis contra morbum operationibus. In istis febribus hæc ita exquisita tantum abest, vt iuuamentum afferat, quin potius amissionis pugna; & mortis sæpè causa fiat, propter malignitatem ex corruptis humoribus spiritus cõtaminantem, & vires resoluentem: vndè crassiori victu fouendos ægrotantes censebamus; horum normam, ac examen, vltra experientiæ vim, à Galeno mutuantes 1. Apt. 17. vbi inquit. nam si sæpius, aut rarò, siue omninò nutrire oporteat, ab ægitudine, & vi-

ribus

ribus primūm maximè accipitur; Pōst hæc autem, & ab  
 anni tempore, & ab ætate, & talibus. Si enim vires la-  
 borantis debiles fuerint, & ea quæ est in corpore disposi-  
 tio, sit ex corruptione humorum, vel defectu, parum  
 alimenti, & sæpius talibus afferemus, parum quidem;  
 quia imbecillitas non potest totā simul multitudinem ali-  
 menti sustinere; Sæpius autem; quoniam multis indiget  
 dispositio, defectus si quidem exigit obiectionem, corrup-  
 tio verò contemperamentum. & in calce comenti post-  
 quā à morbo ægrotantis uiribus delumēdas indicatio-  
 nes; item, à tempore, ætate, consuetudine, & alijs, quæ  
 proportionalia sunt, cum Hippoc. Statuerat, subiungit:  
 singula enim, quæ diximus, aut fortes, aut debiles vires  
 efficiunt, & corpus reddunt aut superabundans bonis hu-  
 moribus, aut sufficientibus carens, aut uitio humorum de-  
 prauatum. Quare cum ex mutatione aeris, & temporū,  
 non possint non nisi, & immutari humores; horum au-  
 tem duorum ferè annorum tempora præter naturam, &  
 praua extiterint, sufficientibus non nisi carentia corpora,  
 & humorum uitio deprauata efficere poterunt. Ex quo  
 non leue erat statuere ciborum quantitatem, & qualitatem,  
 quæ aliqua in parte non noceret; utpotè, si tenuior, uiri-  
 bus, si crassior febrī. De qualitate quomodo, ex alijs ca-  
 pitibus colligi potest. Attamen uires non tantum præ-  
 sentes; sed quales futuræ essent perpendentibus; cum in  
 omni morbo coniectari oporteat, nunquid æger cum  
 tali cibo perseverare possit, quoad morbus concoquatur,  
 vel prius deficiat, absolutè in his febribus validiori cibo

ægrotantes nutriendi indicationes insurgent; tùm respectu malignitatis, vt dictum: tùm causa longæ, inconstantis, & reiteratæ pugnæ. Et ita aliquibus à principio cibos cum iure pulli confectos præscribebamus. cum verò Galenus 1. reg. acutorum desideret in cibis, quæ illud efficiant, vt, si quid concoquendum, concoquatur, & euacuandum, euacuetur, & eo Aph. temperandum, contemperetur; nos à malignitate indicationem etiam desumentes; vltra hæc, aliqua indebamus, quæ malignitati resisterent, ebullitionemque maximè sciendam prohiberent, vt acetosam incoquentes, endiuia, flores cordiales, frustulum citri, vnicornu, & similia: quemadmodum sorbilia oua, vbi multum resolutas deprehendebamus, non timentes, vt aliqui faciunt, eorum corruptionem, quia Gal. ea exhibet in Sincope à tenuitate humorum 12. meth. 6. prohibens pthisane cremorem, & mulsam; tanq̃ cibos, qui promptè diffuant, & corrumpantur; aliquando vt lac concreta (tremula dicta;) aliquando dissoluta, non cocta in iure pulli. Nonnunq̃ in ferulis aliquid emulsionis seminum melonū addebamus, caloris adurentis causa, æquationisque humorum; & vbi iam relapsas, portionem cōtusi pulli. Nonnullis tamen nisi transacto primo septennario; & aliquibus secundo, prout plenitudo maior, & uirium meta dirigebant, ad talem victum descendebamus. Sed postquam incidimus in quorum usum, laudes retinere non possumus, viresque; ac potestates, quas mulieres in hac regione sapissimè, maximo ægrotantium discrimine, attribuunt. Si

enim

enim intollerabili calore vrgeatur, ac affligatur infirmus, nil magis refrigerare, aut (vt utamur eorū vocabulo) rin frescare, volunt, quàm si ea concussa, ac permixta vino exhibeantur; Si fluxus alui, similiter præbent; nullum maius assereñtes præsidium ad compescendum fluxum: Si vigilia, pari modo porrigunt uim somnum conciliandi validiorem nullam affirmantes; prout, si doloribus, & alijs symptomatibus exagitentur, pro correctione præbent. Itaut frustra tot inuenta, ac excogitata sint præsidia; immò quod peius, efficiant frustorios Medicorum labores, ac studia. & si egrotantibus hac & simili causa augeatur morbus, reticent, attribuuntquè præstitis auxilijs Medici; circa quod diligentiam adhibere debemus, nè (vt sæpe fit) nobis causa mortis imputetur. Grauis etiam, & pulchra difficultas in curatione harum febrium eueniebat: num, primo scilicet transacto imperfecto iudicio, rescindi liberalius forent ægrotantes; an, cum recidiuam, expectaremus in illis intermissionis diebus, eodem ordine victus procedendum esset, cuius incuria multi perierê. Examinent enim Medici; quibus concrediti fuere multi ægrotantes, quantos vita defecerit, qui, præterito primo eo iudicio, nil amplius mali expectantes; vnde liberalius cibantes ex cruditatibus opilationis, putredinis, febris, & tandem mortis occasionem præbuere; & alios tenuius, quàm par sit cibatos, superueniente altera pugna, respectu noui humoris moti, resistere morbo non potuisse; nam materia æterogenea diuerso tempore accensionem patitur: Vndè non mirum, quòd biliosa ci-

to impetum faciât, tanquàm magis inflàmabilem, magisque naturam irritatam ad expulsionem, pituitosam verò tardius se habere in his actibus ob supra dictas causas. Quò circa nos illam semper eligimus rationem, vt nedum tales seruariantur vires, quales erant post primam pugnam; sed in quibus resolutæ erant, validiores efficerentur, vt alium morbi impetum sustinere possent; non tamen, vt ad causam, ad putredinem, accensionemque humorum fieret, additio. Materia verò, ferculorum erat, aut ordeatum paratum cum supradicto alterato iure (si vires requirebant) aut panis triticeus consulentes, ut esset tantum duorum dierum, & optimè præparatus, qualem Gallarati rarò comedi, si quidem, exustis partibus externis, intus crudus deprehenditur difficilis distributionis, ac concoctionis, à cuius præparatione, cum tam magna pendeant commoda, ac incommoda, pro sanitate nedum tuenda; sed etiam ammissa recuperanda, maiore herclè requirit Magistratus diligentiam, postquam autè concisus erat, commendabamus, vt optimè ablueretur aqua frigida, exprimereturque, vt fermenti caliditatem exueret; quandoque far, quid aceti propter viscositatem immiscentes; perrarò orizam; (Post sæuitiem tamen) vbi languidam appetitiuâ virtutem deprehenderemus, eamque summè expetentem. Nam diuini Senis sententia 2. Aphorif. 38. parùm aliquid deterius, suauius tamen, melioribus, & minùs suauibus præferendum; & aliquandò huius ratione in declinatione morbi, iuscula ex petrosilio, seu boragine, cum piscibus perficis condita permit-



permittebamus; nonnunquàm quid succi citri, aut parū  
aurantiorum indentes; iubentes tamen, nisi maximè pro-  
strata appetitiua vis, & ingens desiderium, à piscibus, vt  
abstinerent; sed pane in ipso madefacto vterentur. Pro-  
potu utebantur, aqua decoctionis ordeï, passularum, &  
radicum graminis; nisi imbecillitas uirium, vt exhibere-  
tur vinum hortaretur: sed tunc temporis eligebamus,  
quod tum aspectu, tum facultatibus aquosum esset, tan-  
quam minus stomachum grauans, minus caput petens,  
vriñas, & sudores prouocans, coctioni etiam inseruens;  
in parua tamen quantitate, & sæpius frustulum panis in  
eo tantum intinctum, ac madefactum, permittebamus;  
non autèm, vt ipsum ebiberent; nè ita euaporaret, inte-  
riusquè permearet, cerebrumquè offenderet. Et quibus  
magnitudo febris interdiceret, ingens tamen esset postu-  
latio, compositionem concinere faciebamus, (circa ta-  
men morbi finem) ex ordeï aqua, aut fontana simplici  
decocta, iulep rosaceo, & vino granatorum, non multū  
austero; ita vt, nec dulcedinem manifestè sapèret, & au-  
steritatem deponeret; Quod gustui erat gratum, nec fe-  
brem augere valebat. Horas cibationis tepidiores Hip-  
po. ac Galeni consilio excerptes.

*Correctionis Symptomatum vis, modus, ac materies.*

*Cap. 9.*

**S**ymptomata quandoque ad se curam trahere 1. 2. metho-  
dus reliquit Gal. causaque per sæpè ex accidenti rationem  
subire;

subire; vbi de soporifferis loquens, in quorum vsu noxæ suspitio adest, eam non timens, inquit, læsionem potius, quam mortem esse eligendam: quia si non magna admodum sit, saltem postea spatio longiori eam sarcire licebit; sin ita sit immodica, vt nec prolixo spatio perfanari queat, at certè hanc ipsam eligendam potius remur, quàm vt homo pereat. Quo circa nos contraindicantibus causa febris, febre, malignitate, & putredine auxilijs vsi fuimus, quandoque pro sæuorum accidentium remotione, quæ morbi causa applicanda non fuissent; vt astringentibus in dysenteria, sincope ex humorum tenuitate, acidis; vbi appetitus prostratio, sitis inexhausta, maximum incēdium, repercutientibus circa caput, non exquisitè purgato corpore; vbi intollerabilis dolor, soporifferis in perpetuis uigilijs, sanguinis educatione conspersa cute morbillis; vbi delirij, ac phrenitidis instaret causa, victu febrem augere valente; vbi imbecilles vires aderant, calidis medicamentis in febre; vbi comatis vrgeret affectus, alijs tamen contraindicantibus non neglectis. Quando igitur dysenteria simul laborarent, si multitudo adhuc esset in corpore; serum lactis calibeati, aut ex lapidibus ignitis feruefacti exhibere faciebamus, in quo per paruam ebullitionem decocta fuissent folia cicoreæ ros. & quādo etiam plantaginis; ne ante tempus astringentes maior occasio febris, ac mortis præberetur, aut continuo fluxu, ac torsionibus, spiritus, ac vires resoluerentur. pulueres etiam ex cornu cerui usto, bolo armeno, terra sigillata maximo cum effectu comprobantes. ventrem illinentes ex oleis

cotoneorum, masticis, mirtilorum, & pulueribus quan-  
 doq; vnguenta parantes; nisi essemus in principio, & ex-  
 pulsiōe morbillorum, quia tunc temporis cum cautela  
 magis procedebamus: si sincope pane intincto vino, &  
 ouisforbilibus pro ratione symptomatis, & alijs auxilijs,  
 vt irrotationibus ex aceto, aqua rosacea, odoremētis, li-  
 gaturis, inunctionibus; si oris ventriculi vitio, ac imbecil-  
 litate accideret. Si siti, quæ non tantum aderat ob siccit-  
 tatem faucium, linguæ, gutturis, & ventriculi ob acres  
 humores in ipso contentos, ipsas partes exsiccantes, & cō-  
 burentes; sed etiam ob caliditatem excedentem in corde,  
 ac pulmonibus, tunc nedum alteratione, euacuatione quæ  
 humorum corrigere studebamus, sed aeris etiã frigidi in spi-  
 ratione. Vndè, cum talis non haberetur aer, ad illam qua-  
 litatem reducere tentabamus, tum folijs vitis, salicis, quer-  
 cus, floribus violarum, rosis, lectum, ac cubiculum his  
 sternentes; irrotatione etiam ex frigida, & aceto, vbi non  
 deerat pecunia: in ore verò ad humectationem (nam li-  
 beralis nimis potus multa parebat incommoda) pruna,  
 sebestem madefacta, vt tenerent, præcipiebamus: aliqua  
 dò frustum lactucæ immersum frigida, item à Diosco-  
 ride hac de causa paratum remedium ex seminibus cucu-  
 meris Satiui, tragacante, ac candido crudo ouorum re-  
 centium; cibus superaspergentes emul. sem. melonum  
 tertiam, aut quartam partem. Gargarismata, & lotio-  
 nes concedebamus, ubi fauces lenta pituita referta forent  
 ex aceto, & frigida, alias ex aqua cocta, & iulep. viola-  
 ceo. Si dolor capitis ingens oxirodinum parare facieba-  
 mus

mus ex duabus partibus olei rosacei, & vna aceti, rosaceo prætermittentes, quæ dissolutionem, & exolutionem vaporum non parum impedit; Nam Mesue cap. de cura sode repercutientium, ac astringentium usum vetat in his febribus, quæ ex humorum copia pendent; propterea quod vapores è capite exire prohibent, vnde maius sequatur damnum. Quare ex oleo, & aceto tantum composito utebamus; tanquam moderatè reprimente, inflammationi aduersanti, crassosque humores attenuante, ac quoquo pacto resolvente. Neque, si vrgeret dolor, omnes euacuationes expectabamus; quæ aliquibus necessariae videntur; quia Gal. 1. ad Glauconem præmissa tantum phlebotomia capiti oxirod. apponit. si phrenitis; quamuis conspersa esset cutis ijs maculis, hirudines venis sedi (quemadmodum si locinoris inflammatio) admoueri iubebamus; cum per necessaria esset euacuatio aliqua sanguinis (nisi egrotantem harum inflammationum vi perire permittere opportuisset) nequè per aliam partem nobis videbatur posse fieri sanguinis missionem, quæ conueniret affectibus, nec aliis indicationibus, præsertim desumptis ab exitu morbillorum, minus contradiceret; imò aliquibus, cum factæ fuissent omnes celebres euacuationes; & tamen febris in acutie circa vigesima persequeretur; pigritante natura: quamuis phrenitide, aut iecoris inflammatione non laborarent, apponi voluimus maximo eorum auxilio. & vbi perpetuæ vigilie vrgerent, aut deliria tribus horis, aut quatuor, à cœna parum emulsionis seminum melonum extrac. cum decoq. sem. papaueris albi,

foliorum Scabiosæ, & florum cordialium sæpè præscripsimus: aliquandò Syrupum de papauere. vnguento item popul. tempora, & pinnas narium illinentes, sub cervicali folia vitis, cap. papau. albi, & similia supponere facientes. aquarum strepitum arte causari; vbi aliter haberi non posset, procurabamus. si virtus exilis admodum foret, & morbi magnitudo, non abstinebamus ab extillatis, iusculis, contusis, ouis, & consimilibus. alui astrictio si fuisset enematibus, altero saltèm die subueniebamus; aut balneo, si virtus non permittebat. Si extremæ partes frigidæ, vt ad calorem reuocarentur (præter prædictos cibos) ligaturis leuibus pannorumq; calidorum appositione utebamur, semper tamen aliorum contraindicantium vim respicientes.

*In nuper vagantibus febribus ante decimaseptimam, neutiquàm medicamentum electiuè purgans exhibendum fuisse. Cap. 10.*

**M**Orbos prius esse cognoscendos quàm curandos cum Hyppo. in primo de Aere locis & aqu. & Gal. initio tertio meth. omnes proponunt Medici, sed exequi multi non carant; si quidem, si prout annotatum, ità seruatum fuisset, non tam multis per exhibitionem medicamenti in huiusmodi febribus statim trã facta vndecima, aut decimaquarta, vbi reliquias morborum tollere putabant, vitam exhausissent; dum enim præteritæ, & præsentis cæli constitutiones notatæ fuissent, non nisi talem febrium formam constituere dabatur, vt nedũ

ante decimamseptimam medicamentū purgans; sed nec absoluti exhibendi sæpè animus foret. Quamuis enim natura corpus gubernans præcipua caussa crisis existat, laudabilior tamen perfectior, ac secura magis, si ei conformis sit natura superior, & cœlestis: à qua temporum mutationes, & iudicia Hypp. fieri docuit, lib. supradicto. nam calidis temporibus, aut tepidis, quorum auctores ortus, & occasus syderum sunt, meliùs contingunt crises, alijs temporibus morbi ipsos laborantes necant. Vndè cùm vniuersalis harum febriū impetus rarissime ante decimamseptimam in salutem ægrotantium fieret, maximeq; per sudores illud præstaret: & cùm illa esset itidem harum figura, ac notio, vt acutorum simpliciter non seruarent iudicium; nequè ante illud tempus purgans medicamentū pr opinari debebat. Quàm necessarium sit hæc nouisse primo Aphor. 12. longa oratione profequitur Gal. & 2. de crisib. explicite satis scribit. nisi enim constituamus in acutis morbis, tempora subitarum mutationum, ac magis elaborati iudici, non nisi maxima errata contingere possunt. Si quidem quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, nequè mouere nequè nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere iussit Hyppo. & profuse id præstandum docuit Gal. 1. Aph. 20. ad cognoscendas verò subitas in morbis mutationes Gal. epilogans quæ dixerat 2. de crisibus, asserit ascensus, status, & declinationis dignationem, & promotionem habendam; hæc autem dignosci ex ægri tudinis forma, & regione, & anni tempore vnâ cùm illis, quæ correspondent; sed primum vult

vult in morbis dignoscendis medicum exerceri in iis, qui exquisiti sunt & legitimi: qui à tunc aliter compositos melius inuenire poterit. At verò exquisiti sunt, & legitimi quandò & ætas, & anni tempus, & regio, ac constitutio, naturaquè omnia simpliciter humoris formę conuenerint. Vndè cùm anni tempora inconstantia fuerint, præpostereq;, ac peruerse constitutiones, & ad mutationem aeris corpora nostra afficiantur, & immutentur, legitima, ac constans morborum forma constitui non poterat; quia ea ex legitimis humoribus, legitimi autem, ac sinceri humores ex legitimis temporibus. Quare nunc ad quod descendere volumus Hyppo. decreto dùm inquit, inconstantibus temporibus inconstantes fieri morbos, & mali iudicij, iis duobus annis non nisi volubiles, inconstantes, & mali iudicij morbos experiri dabatur, vel cum casibus periculosis, vel recidiuam facientes, vel statim à principio periculosos: vt in similibus fieri explicat Gal. 8. Aph. sec. 3. Ex quò non mirum, quod nec per sudorem copiosum factum in septima solueretur febris; quia calor præternaturalis in alio accendebatur humore, pituitosoq; vt plurimum, & sæpè ipsa cessante in sexta, & etiam septima denuò accendi in duodecima, tertiadecima, quartadecima & amplius soleret. Quibus propositis etiam apparentibus signis manifeste, ac bonę digestionis ante vigesimam, aut saltem decimamseptimam, secundum motum morbi, non videtur conuenire medicamento purgantis exhibitio, cùm ratione inconstantia; nam multis quæ videbantur vrinae laudabiles, altero die crudæ, ac prauæ cerneban-

tur, maxima medicorum admiratione; quia nouus insurgebat accensus, humor; tùm quia retinere potest sudores, alia sùè euacuationes à natura iam dispositas, aut saltèm imperfectas causare, sed præsertim sudores, quæ vera deprehendebatur, & magis frequens harum febrium solutio: Nam caracter huiusmodi febrium erat, aut acutarum non exactè, aut acutarum ex decidentia, vt absolutè omnes tenent, & fatentur. acutorum autèm ex decidentia quadragessimus statuitur longior terminus, quemadmodum non exactè acutorum minor decimusseptimus à Gal. de dieb<sup>9</sup> decretorijs secundo. Itàut quamuis constantiam habuissent, nihilominus ante decimamseptimam non esset opportunum medicamen purgans præbere; sed animaduerso motu, ac naturæ celebri iudicio: cùm in ijs diebus multas, & quandoquè diuersas, vel respectu temporis, vel respectu loci euacuationes aggrediretur; ne dùm iudicaret impediretur natura (quod monet Hyppo.) si quidem ipsa melius nouit vias, & tempus eligere, multas vnico tempore euacuationes disponere, & paruo temporis interstitio perficere: vt, cum momento temporis vomitum, & alui fluxum, aut sudorem, aliamuè euacuationem facit. Vnde si aliqua à medico tunc tenteretur; quamuis detur per illam partem conuenientem euacuationem præstari (quod tunc periculosum est experiri) retinebit tamen, aut interturbabit alias; quod non fit si natura permoueat. & tanto magis debebant abstinere, quia in omnibus ferè sudor quamplurimus in decimaseptima aut vigesima eueniebat. cui expulsionì omnimodè contrariatur medicamento in agen-



do facultas; unde non parùm officiebat, illa verò multum iuuabat, tum respectu motus humoris, tum naturæ partis, ac situs, perquam fiebat. ad quem enim locum ex conferentibus uergit eo ducere conuenit, inter loca autèm conferentia Gal. primo Aph. 21. cutem vniuersam enumerat; immò alibi ratò asserit febres euacuatione per alium solui. Quare si oportet, vt loco nuper adducto iubet Gal. medicum naturæ motum animaduertere, & si idoneus fuerit, ei conuenit adminiculari; quemadmodum vbi contrarius, & noxius tunc transferre, atquè diuertere, neutrquam, medicamentum ante decimam septimam saltèm opus erat, exhibere: quia adhuc iudicabat natura, & quæ iudicantur non mouere iubet Medicorum primus. Quantum enim formidabilis debeat esse vsus medicamenti purgantis ante debitum tempus docet Gal. primo Aph. 24. explicans Hyppo. illud verbum, cum præmeditatione faciendum, dum inquit. siue enim per hoc verbum diligentem intelligit examinationem, siue ægroti præparamentum, siue recti iudicij expectationem, siue horum aliquid, siue omnia vnius vocabuli significatione compræhendantur; quantum huiusmodi vereatur purgationes manifestat, paulo infra subdens. quare oportet maiorem ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quàm id quòd necessariò consequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum. erit autèm vtilitas maior, si absquè molestia omnis humor noxius, & infestans euacuetur; quòd haberi non potest donec natura separat, suasq; euacuationes molitur, quæ intra decimam septimam saltèm adhuc

præstantur. ratio constitutionis termini ea erat, quòd si in salutem agrotantis conatus suos natura dirigeret, vel absq; crisi pertransibat vsquè ad decimam septimam, quia in primo quaternione non habuerat acutiem, vel ad vigesimam; quia non in secundo, vnde sic poterat protendi vsq; ad illos dies. nullus enim à primo die acutus in hunc illabitur, qui non prius iudicium expertus sit, secundo de diebus decret. vltimo, vel fiebat crisis ante decimam quartã; sed imperfecta, & in decima sexta, decima septima, non vltra vigesimam, si niebatur; qui motus, & modus acutorum non exactè genus constituit. Si verò ante vigesimam, non securè, & perfectè iudicabat, inde remittentes, & demisse postea reuertebantur, aliud acutorum genus ex decidentia uidelicet, siue vt Hyppo. quadraginta dierum designabatur. Quòd si citius ad summam, & accerrimam res deueniebat pugnam, in iis maius erat salutis discrimen; nec tamen à recidiua præstabantur immunes, quamuis supra morbum natura fuisset, sed inconstantes variæ, ac fraudulentæ comperiebantur. Quia principio enim ferè omnibus laudabiles vrinæ, quæ paulo post subiugales, ac confuse cernebantur. aliquibus paulo ante mortem non contemnende apparebant. reducant ad memoriam phisici quot insperato corruerint, vbi refectionis curam magis habebant, morbi vim non amplius timentes. Quamobrem satis manifestè patere nobis videtur neutiquam medicamentum purgans, ab eo quod in principio competeat, ante decimam septimam saltem in iis febribus conueniens fuisse. qua de re cum Excellenti viro

contendebamus, dùm è somma Gallaratum accederemus, præter rationes experientiæ vim excitantes. Quæ, & postea vsu tractando cognouimus; Nam Sommæ simul duorum egrotantium valetudinis curam habebamus fratrem Multum Reuerendi Domini Præpositi Mezanæ, & Benedictum appellatum il Moretto eodem morbo laborantes, quos ipse solus inuisens alteri fratri videlicet Domini Præpositi, cum manifeste concoctionis signa in vrinis cernerentur, decima quinta medicamentum purgans præscripsit, dùm in septima, & decima quinta per sudores, hemorrhagiamq; natura se se exonerasset, & febre eger liber mansisset. Quod in via ab ipso Multum Reuerendo dùm alios adiremus in firmos intelligentes, necessariò febre adhuc eum laboraturum prædiximus; quamuis medicamentum multa eduxisset, vndè decima septima rursus superuenit febris cum rigore, & sudore, prout in decima quarta factum fuerat; à quo postea nec febris desijt, verùm opus fuit reiterare humorum æquationem; & ita debilis remanserat, vt nisi corporis firmus habitus, ac iuuenilis ætas præsto fuissent, difficilimè vim morbi effugere potuisset. Alteri ægrotanti cogitabat Aromatarius, & exhibere purgationem decima quinta, cum decessisset febris. cuius effectum per litteras vetuimus, nunciantes repetituram, & decima septima iudicium à natura tentaturum, & vigesima fore absoluturum. Quòd & euenit; nam in decima septima sudor, in vigesima uerò maximus, & febre, & accidentibus grauibns eum liberauit; & transactis aliquot diebus potionem ebibit omninò morbum euadens. verùm re-

fert obiectionem apponere, quam Multum Reuerendus nobis fecit; num melius esset, cum motum febris adhuc expectaremus, prius medicamentum exhibere, quam, accenderetur; cui satisfacimus, dum natura non esset in iudicio, vnde præparare potuerit per aliam uiam educere humorem, quod vtiquè conueniens esset; sed cum per alias, euacuationes morbum natura submouere tentaret, ac perbellè per sudores, & quæ iudicantur sinenda sint, nos à medicamento libenter abstinuisse. Argumenta huius sententiæ si ab auctoribus, & causis petantur, modica sunt, si ab experientia innumerabilia. nullus enim negare potest, quin omnes propemodum egrotantes vltra decimū quartum diem ( si ad salutem properabat morbus ) iudicium, & frequenter recidiuam passi sint, ob inconstantiam temporum. ex quibus etiam inferri potest, nequè necessariam esse semper exhibitionem medicinæ in fine morbi, cum natura potuerit omnem morbi causam sustulisse sudore, aut alia euacuatione, & quæ iudicata sunt integrè, mouenda non sint. De quarum inconstantia natura ac moribus Excellens Phisicus Busti Arsitij admiratus, dum reperi-remur Fagnani, apud Illustrissimum Archiepiscopum, petijt, qui fieri posset, vt quandoquè desisteret febris hæc in aliquibus, absque aliqua euacuatione; cui responsum dedimus, ob longum vsum maximè refrigerantium accidere posse. cum ex Gal. habeamus, febrem remoueri, vel per remotionem causæ, vel extinctionem calidi præternaturalis: sed reuerti tunc solere, cum fomentum eius adhuc permaneat in corpore, vnde denuò accendi possit; præfer-  
tim

tim cùm nundùm destiterit impetus, & persæpè difficilior effici; propterea quòd densatum ab his corpus extiterit, siquidem in multis hac febre laborantibus illud euenit, vbi medici reserebant repetitionem ad aliquos commissos errores; & si aliter fieri contigisset. Quandò verò natura materiã concoquisset, & per criticos dies tentatis ab ipsa euacuationibus, morbi tamèn caussa aliqua relicta esset, nè recidiuam facerent, medicamentum propinabamus, ex infusione reubarbari, syrupo, rosaceo sol. & elec. de succo ros. quandoq; elect. lenitiuo (à cuius tamèn exhibitione in principio semper abstinuimus) propter aliquot ingredientia, præsertim puluerem sene, à qua inflammari, magisquè, quàm liceat in principio perturbari, ac in huiusmodi febribus commoueri, humores possunt. aliquandò manna, cum elect. supradictis, vt diasceniconis portione, diacatol. melle ros. & similibus, prout ætas, humoris prædominium, & alia requirebant. Intermittebamus etiã aliquandò purgatorias potiones, dùm calor substantiæ cordi impingebatur. Quemadmodùm enim febres ardentes ( nisi rectè tractentur) in heclicas posse abire, omnes consentiunt medici, ita negari non potest, & has pestilentes febres in heclicas transire. Siquidem cùm circa cor, morbillaris, ac pestilens febris rem agitet, illiusquè vires extinguere, ac opprimere tentet; non mirum, nec rationi dissentaneum, caliditatem illam, ac malam qualitatem tractu temporis cordi aliquandò communicari, ac insigi. Gal. etiam heclicas, pestilentes dari permittit primo de disse. febrium quarto, & tertio, de

præfag. ex pul. pestilentes etiàm citra pestem dari; concessit. Tertio in tertium de morb. vulg. tex. 57. Quò circa dabitur etiàm has febres hecticas fieri posse, non tamèn à principio; quemadmodum peste vagante fieri contingit, vbi attractio aëris putridi, ac infecti statim cor petit, afficitquè: sed tractu temporis accensus in humoribus calor ille malignus, cordi etiàm communicetur. quod experientia vidimus, Nam ex perturbatis, vrinas naturalibus similes factas perspicientes. tactu pulsum a naturalibus non multùm variantem, calorem primùm non multùm acrem, qui postea tamen successiue augebatur, mordaxquè depræhendebatur, vt tangenti manu è partibus internis à puteo videretur educi. (quod & Auicēne innotuit,) & tamèn insperato corruerè, alteri causæ refferre non poteramus, cùm & adessent alia, quæ id præmonstrarent. Si dicant nobis quomodò ergò tam citò pereunt, cùm hectica morbus longus sit: respondeamus, duplici ratione cordi offensam præitari, tum caloris præternaturalis vi, tum malignitatis impetu. Vndè, & si ratione caloris in longum produci debuissent, nihilominus tamèn malignitatis causa inopinatò, & citò perire potuerint. Sed nunc tēpus est, iactis quàmuis debilibus fundamentis, extrema persequi simus) scribendi finem, vt faciamus. quapropter harum pestilentium febrium causam cœli statum, ac conditionem fuisse ( quantum patiebatur angustia temporis, ac tarditas ingenij nostri ) satis probatum esse existimamus; illiusque generis, ac naturæ extitisse, vt inconstantium, acutorum non

exactè, aut ex decidentia morborum formam habuerint, illosque mores fuisse, vt. <sup>¶</sup> sapè citra euidentem magnitudinem morbi, aut ipsa iam transacta, vel cum ipsa furtim vitæ insidias fecerint, curationem verò à coniuncta causa, sinè cœli conditionis obseruatione, non securè accerfiri, nec per tam liberalem acidorum vsus rectè perfici. Ad laudem omnipotentis Dei. ac immaculatæ semper Virg. Matris Mariæ, quorû nomen sit benedictû in sæcula.

*Lectoribus Peroratio. Cap. I I.*

**B** Enigne lector, Multa circumspicienda sunt, nè quid offendas, nè quò irruas; ætatis, temporis, animi, & vitæ ratio. nec me præterit quosdam fore nimis ieiuno animo, & angusto ad vnâquamquè rem examinandam, momentoq; suo ponderandam; uerum satis mihi facit oratoris non inculti Francisci Petrarchæ primo epistolarum admonitio, dùm in hæc lepidè prorupit, Redde mihi Pithagoram, reddam tibi illius ingenij contemptores. redeat in Græciam Plato, renascatur Homerus, reuiuiscat Aristoteles, reuertatur in Italiam Varro, resurgat Liuius, reflorescat Cicero; non modo segnes laudatores inueniet; sed mordaces, & liuidos detractores, quod quisquè suis temporibus expertus est. Vndè nec mihi deerunt, qui ipsorum comparatione, summis tantum labris litterarum monumenta gustauit. Spero tamen, nec inutilem, nec contemnendum apud probos viros, futurum laborem. vale, & interim si grata fuerint, maiora Diuino auxilio parabimus.

L A V S D E O.

## Errata sic corrige.

Fol. 1. inuisendis, lege in visendis. hincq; temporum, l. Hacq; temporum, fol. 2. Sine nullo, lege sine villo, fol. 4. Auspicantur. vna, lege auspicantur, vna. aeris nos ambiētis lege aeris. Erumpeban:ur, lege erumpebant fol. 8. Aliqui Phrinitice, lege aliqui phrēnitice fol. 26. Contrauidicaret, lege contraindicaret, fol. 27. Præualeret lege prævaleret fol. 28. Decimus quintus, lege decimus quintus, fol. 39. Si quidem, lege siquidem, & quibus vis lege quibusuis, fol. 38. Attrahendis, rictionibus lege attrahendis, frictionibus, fol. 44. Si quidem, lege siquidem, fol. 46. Et quando, lege & quandoquē, fol. 50. Dignationem, & promotionem, lege dignotionem, & prænotionem, fol. 55. Dum in septima, & decima quinta, lege dum in septima, & decimaquarta, fol. 18. qui in toto, l. quæ in toto.

Et similia eiusdem generis.

